MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81149-5

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

HECKER, RICHARD

TITLE:

DE APOLLINIS APUD ROMANOS CULTU

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1879

Master Negative #

92-81149-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Hecker, Richard 1853- Dissertation
De Apollinis apud Romanos cultu
Leipzig 1879

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/3/93 INITIALS m.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 5

Dissertatio inauguralis Lipsiensis.

De

Apollinis apud Romanos cultu

scripsit

Ricardus Hecker,

Gruenhainanus.

LIPSIAE.

TYPIS SEIDELI.

MDCCCLXXIX.

In priscam religionem Latinam paullatim irrepsere inprimis Tusca, Sabina, Graeca. Ab Etruscis, quippe quorum dei nimis essent austeri,[1]) Romani nihil videntur sumpsisse nisi instituta quaedam ad religionem spectantia, ut portentorum interpretationem, fulminum piacula, similia,[2]) quae etsi superstitiosa cum verecundia tenebant, eadem tamen integritate, qua acceperant, caerimoniis suis non adiungebant.[3]) Graviora religioni Romanae impressit vestigia cum Sabinorum tum Graecorum contagio, ut non modo huius vel illius dei in Urbe culti sacris hoc vel illud admisceretur, sed etiam nova ab eis introducerentur numina. E Graecis deis, qui usque ad Punicum bellum secundum immigraverunt omnes,[4]) ad mores institutaque Romana mutanda plurimum valuit Apollo. De cuius dei cultu cogitanti mihi nonnullas quaestiones tractare ac pro viribus illustrare, quoniam, quando prima vel ara ei statuta vel aedes sit exstructa, viri doctissimi inter sese dissentiunt, primum de templis Apollinis agere haud alienum videtur esse, deinde de origine ac tempore cultus introducti, tum de natura et cultu eius, postremo de ludis in Apollinis honorem institutis.

---

[1]) Boissier, La religion Romaine d'Auguste aux Antonins I, 30; Mommsen, Röm. Gesch. I[6], 180; cf. Kinkel, Kunst und Cultur im alten Italien vor der Herrschaft der Römer p. 23.

[2]) E. Zeller, Religion und Philosophie b. d. Römern (in Virchowi et Holtzendorffi Sammlungen wissensch. Vortr. Ser. I, H. 24). Ampère (l'histoire Romaine à Rome I, 338) nescio quo errore haec Tusca per Sabinos Romam influxisse affirmavit.

[3]) Merivale, History of the Romans under the empire III, 12.

[4]) Marquardt-Mommsen, Handb. d. röm. Alterthümer VI, 51.

Caput I.

De templis.

De prisco in pratis Flaminiis templo.

De templis Apollinis si quaerimus, ab Asconio[1]) ordiamur, cui, quod Ciceronis aetate unam huius dei aedem Romae fuisse tradit, et prioribus et novissimis temporibus parum fidei est tributum. Fuerunt enim, qui in Capitolio, ad portam Capenam, quin etiam in monte Vaticano templa fuisse affirmarent. Sed quam levibus argumentis nisi id proponerent C. Fr. Hermannus[2]) demonstravit. Etiam C. O. Muellerus[3]) refellendus est, quippe qui ab Asconio verum eo loco tradi negare non dubitaverit, et alios in similem errorem incidisse infra videbimus.

Maximam attulit difficultatem, quod Livius de tribus, quae fuerint liberae rei publicae temporibus, Apollinis templis loqui videtur. Omissis interim eis, quae ad tertium attinent, quid de primo et altero statuendum sit, videamus.

Tradit enim ille scriptor pro valetudine populi huic deo aedem esse votam (l. IV, 25, 3) a. 321/433 et dedicatam (l. IV, 29, 7) a. 325/429 absente collega sine sorte a C. Iulio consule. Deinde secundum alium Livi locum (l. VII, 20, 9) legionibus a T. Manlio dictatore e finibus Faleriorum urbis a. 401/353 Romam reductis reliquum anni muris turribusque reficiendis consumptum et aedes Apollinis dedicata est.

[1]) Ad Cic. in toga cand. haec adnotat p. 91 (Or.): „Ne tamen erretis, quod his temporibus aedes Apollinis in Palatio fuit (sit?) nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, utpote quam post mortem etiam Ciceronis multis annis imperator Caesar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quae est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium et circum Flaminium; ea enim **sola** tum demum Romae Apollinis aedes."

[2]) De loco Apollinis in carmine Horati saeculari pp. 4—9.

[3]) v. Böttiger, Archäologie u. Kunst I, 1, 89.

Quae cum non offendant Hartungium,[1]) Sachsius difficultati ita studet mederi, ut idem templum denuo dedicandum fuisse affirmet, propterea quod antea consul absente collega sine sorte dedicasset. Putat enim priore illa dedicatione instituta legesque et caerimonias esse laesas, et propterea opus fuisse altera dedicatione.[2]) Quae, etsi Ambroschius[3]) Sachsio assentitur, equidem non probem quod quamquam omnes dedicationes, quas ab altero consule absente collega sine sorte susceptas esse scimus, non pertinent nisi ad tempora fabulis exornata,[4]) absente altero consule uter dedicaret sorte non decernendum fuisse licet conicere. Neque haec via est petenda, ut dicamus fieri potuisse, ut, qui Romae mansisset consul, exstruendae aedis officium reciperet et hac de causa dedicandi quoque ius haberet; neque est, cur priorem illam dedicationem legitimam fuisse negemus.

Aliter atque Sachsius rem explicant Klausenus[5]) et Weissenbornius;[6]) deletum enim putant esse vetus illud templum, cum Galli Urbem incendissent, atque eodem loco denuo esse exstructum et dedicatum. Quam

[1]) Religion d. Römer II, 205.

[2]) cf. quae sunt in Sachsi Geschichte der Stadt Rom (p. 357): „Dieser Tempel . . . wurde von C. Julius Manto in Abwesenheit seines Collegen Quinctius Pennus Cincinnatus, und ohne um diese Ehre geloost zu haben, eingeweiht, eine Verletzung der Verfassung und heiligen Gebräuche . . ., die . . . eine zweite Einweihung nöthig gemacht zu haben scheint."

[3]) Studien und Andeutungen im Gebiet des altröm. Bodens und Cultus I, 171.

[4]) Praeter dedicationem, de qua agitur, eodem modo dedicatum esse traditur a. 261/493 (Dion. Hal VI, 94) et a. 288/466 (ibid. IX, 60). Consules anni 247/507 uter dedicaret sortientes facit Livius (II, 8, 6), cum secundum Dionysium (V, 35) absente collega et haud dubie sine sorte alter consul dedicaverit, cf. Mommseni Röm. Staatsrecht II², 1, 601

[5]) Aeneas u. die Penaten (II) p. 1100.

[6]) Ad Liv. VII, 20, 9.

sententiam Clasonus[1]) his verbis impugnat: „Doch würde man dann erwarten, dass bei Livius sich irgend etwas über die Restitution des Tempels fände, die in den ältesten Chroniken gewiss verzeichnet worden wäre.“

Sine dubio de causa iterum dedicandi aut in commentariis magistratuum aut in annalibus pontificum, si quis quaesivisset, legere potuit; sed ipsum Livium non satis diligenter e fontibus hausisse notum est, et Schweglerus[2]) eum annales maximos inspexisse haud ambigue negat. Ubi Livi narratio est brevis, eum suspicari licet praeterea nihil habuisse, quod narraret. Et Livium quidem, cum in posterioribus libris accuratius de templis nos doceat,[3]) in prioribus libris, si a Dionysio de eisdem templis tradita comparaveris, brevissime narrare intelleges. Libor meni II, c. 21 init. de Saturni, eiusdem libri c. 40 de Fortunae muliebris templo pauca quae cognovit, prodit memoriae, cum Dion. l. VI, c. 1 (cf. I, 34, 38; II, 50; III, 32) et l. VIII, c. 55 quae fontes exhibebant diligentissime collecta, etsi male videtur ea contaminare,[4]) afferat. Hoc posito atque concesso, quae Clasonus contra dicit, refutata mihi videntur. Sed quaeritur, num Klausenus et Weissenbornius verum viderint. Fuerunt enim, quos longum temporis spatium, quod interest inter illud incendium et templi iteratam dedicationem, offenderet. Quibus quidem Hermannus[5]) respondit templum ante muros positum non prius videri restitutum, quam et domi et foris res Romanae in tutiorem pacatioremque statum redissent; sed Gallico incendio, quod vix tale fuit, quale traditur, si quis eam rem studet diiudicare, quin errore ducatur, non est dubium. Neque omnino perisse illam aedem, ut fingamus, cogimur; contextum

[1]) Röm. Gesch. I, 423

[2]) Röm. Gesch. I, 111.

[3]) Ut l. XL, c. 52 de aede Larium.

[4]) cf. Ephemeris epigr. I, 234; III, 66.

[5]) l. c. p. 9.

enim verborum Livianorum (VII, 20, 9) intuens facere non possum quin eis notionem subiciam hanc: prae ceteris quae fuissent ruinosa Apollinis templum refectum esse ita, ut denuo esset dedicandum. Similiter rem sibi composuisse videtur Beckerus,[1]) cum dicit haec: „eine abermalige Dedication, jedenfalls desselben Heiligthums, erwähnt derselbe (scil. Liv.) VII, 20. Wahrscheinlich war eine Wiederherstellung nöthig geworden.“ Cui sententiae, etsi veritatis speciem prae se fert, Clasonus assentitur dubitatione quadam, quippe qui fieri potuisse putet, ut in honorem dei consulto falsa traderentur de antiquiore templo. Pergit enim l. c. praemisso fundamento illo, quod claudicare et vacillare arbitror, haec dicere: „Es scheint mir fast, als ob jene erstmalige Weihung einfach eine zurückdatirte Wiederholung derselben Thatsache zu Ehren des Gottes sei. Die Wahrscheinlichkeit, dass etwaige Chroniken aus der Zeit vor dem gallischen Brande durch diesen untergingen, lässt der Vermuthung Raum, dass bei der jedenfalls späteren Wiederherstellung derselben die Orakelbewahrer den Apollocult nicht nur, sondern auch einen Apollotempel in ältere Zeit verlegten.“

Quam opinionem p. 426 plane confidenter pronuntiat. Sed quae Clasonus attulit, non sunt prorsus nova; ante eum enim C. O. Muellero[2]) prior dedicatio suspicionem intulerat, propterea quod ab eo ipso consule facta esse fertur, qui erat e gente Iulia. Quam ob rem ei ascriptam esse dedicationem coniecit, ut Iulia gens Apollinis sacra semper in privatis suis haberet. Attamen coniecturam suam ipse postea non magni aestimavit.[3]) Ihnius[4]) quoque per gentem Iuliam antiquiorem illam aedem pia fraude fictam esse censet. Sed cavendum est, ne nimium tribuatur sententiae illi, qua putant expedire falli civitates in religione. Nam

[1]) Handb. d. röm. Alterth. I[1], 605.

[2]) In Classical Journal a. 1822 T. XXVI, 318.

[3]) v. Hermannum l. c.

[4]) Röm. Gesch. I, 210 n. 10.

etsi nomen eius, qui dedicasse dicitur, suspectum esset, non haberemus, cur de templo omnino desperaremus. Accedit, quod e duobus locis Apollinem, antequam illa aedes exstrueretur, apud Romanos in honore fuisse effici cogique potest. Apud Livium enim (III, 63, 7, ubi de rebus anni 305/449 agitur) scriptum videmus: „in prata Flaminia, ubi nunc aedes Apollinis est — iam tum Apollinare appellabant — avocavere senatum.“ Ex quo loco, quod scimus deum novum hoc modo rite esse introductum, ut in loco consecrato ara et interdum multis post annis aedes conderetur colligere liceret in pratis illis, priusquam aedes exstrueretur, sacellum Apollinis fuisse cum ara — velut Saturno [1]) erat ara, Iano, [2]) Fortunae muliebri, [3]) Herculi, [4]) Aesculapio, [5]) aliis numinibus, quorum sacella enumerata sunt a Luebberto [6]) et a Bouché-Leclerq [7]) —, sed Jordanus [8]) fieri potuisse existimat, ut Livius secundum ipsum illum ritum in eodem loco, ubi postea erat aedes, sacellum fuisse traderet id, quod eodem fere tempore alicubi fuisse audivisset. Nihilominus subsidio non privamur, quo opus nobis est ad demonstrandum Ihnium, alios viros doctos iniuria dubitasse, num quarto a. Chr. saeculo ineunte Romanis Apollo notus esset deus. Primum enim, utrum illud sacellum in pratis Flaminiis an alibi fuerit, per se nihil interest, dummodo fuerit, deinde fuisse Apollinis sacellum antiquissimum ex Varronis L. L. V, 52 elucere arbitror. Erant enim ibi verba ex sacris Argeorum sumpta haec: „adversum (scil. Quirini templo, quod est in colle Quirinali) est pilonarois edem salutis,“ quae C. O. Muellerus [9]) sic restituit: „adversum est Apolinar cis

[1]) Dion. Hal. VI, 1.
[2]) Ovidi fast. I, 275.
[3]) Dion. Hal. VIII, 55.
[4]) Solin. I, 10.
[5]) Commentat. philol. in honorem Mommseni scr. p. 357.
[6]) Commentationum pontificalium p. 41.
[7]) Les pontifes de l'ancienne Rome p. 135.
[8]) Röm. Topographie II, 265.
[9]) In Boettigeri Archäol. u. Kunst I, 1, 69.

aedem Salutis“. Quam coniecturam cum Jordano [1]) egregiam facillimamque duco. Aedem vero fuisse illud Apollinar, Muellero nemo quidem concedat, sed Jordanum, alios sequatur, qui pro sacello id habeant. Quod quominus iam regum postremorum temporibus ibi fuisse statuamus, nihil est, quod impediat.

Quamquam id non presserim, hoc certe negari non potest, esse vestigia prisci Apollinis cultus, ut non mirum sit, quod Jordanus [2]) inter alia templa illud quoque Apollini a. 325/429 dedicatum enumerat nulla interposita dubitatione. Quem cum Marquardtio [3]) haud cunctanter equidem sequor; etenim si, antequam exstrueretur illud templum, de quo dubitatur, fuisse sacellum eiusdem dei statuendum est, ea quae a Clasono Ihnioque contra sunt dicta, per se concidunt.

Livi l. XL, c. 51 de alio Apollinis templo non agitur.

Iam ad alium locum Livianum liceat transire, ubi nonnullis viris doctis de alio Apollinis templo sermo videtur esse. L. XL, c. 51 exstant haec: „M. Fulvius plura et maioris locavit usus ... et forum et porticum extra portam Trigeminam, et aliam post navalia et ad forum Herculis et post Spei ad Tiberim aedem Apollinis medici.“ Quibus verbis fretus Schwenckius, [4]) ut de eis taceam, qui ante eum in eadem re peccaverunt, anno, de quo agitur, 375/179 alterum Apollini templum aedificatum esse constituit, quamquam iam antea C. Fr. Hermannus [5]) locum corruptum esse recte affirmaverat. Sed audacius, ut opinor, omnino delet voces „Apollinis medici.“ Beckeri [6]) autem coniectura („post Spei a Tiberi ad aedem Ap. med.“), quoniam dictio durior est, minus mihi placet quam Prelleri, [7]) qui proposuit emendandum „post Spei ad

[1]) Röm. Topogr. l. c., ubi aliam coniecturam minus probabilem legere potes.
[2]) l. c. I, 24.
[3]) Handb. VI, 345.
[4]) Mythol. der Römer p. 104.
[5]) l. c. p. 10 seq
[6]) Topogr. Roms p. 96.
[7]) Die Regionen d. Stadt Rom p. 242 et Röm. Mythol. p. 269.

Tiberim et ad aedem Ap. med.“ Attamen una restat difficultas; hac enim Prelleri scriptura foro Olitorio, iuxta quod sita erat Apollinis aedes navalia propius quam licet admoventur. Hoc de loco sanatu difficillimo amplius sese disputaturum esse promisit Jordanus,[1]) ut medicinam afferre non audeam. Sed utut est, scire sufficit, quod ipsa Liviana suadent verba, a M. Fulvio non aedem Apollinis, sed praeter cetera complures porticus locatas esse.

Unicum igitur liberae rei publicae temporibus erat illud Apollinis templum, quod, ut etiam postea peregrinorum templa,[2]) extra pomerium inter forum Olitorium et circum Flaminium erat situm. Certe statuis pretiosis omnique luxu

Priscum illud in pratis Flaminiis templum a C. Sosio artificiose exaedificatum videtur esse.

carebat usque ad exeuntem liberam rem publicam, quo demum tempore templa domosque publicas sumptuose exornandi studium est expergefactum.[3]) Hoc quoque templum artificiose videtur exaedificatum a C. Sosio,[4]) qui Antonio imperante Syriae et Ciliciae praeerat. Compluribus statuis praeclaris tunc erat ornatum veluti Apolline cedrino, quem Sosius ille Seleucia Romam transportaverat, et liberis Niobae morientibus, quos utrum Scopas an Praxiteles fecerit iam veteres inter sese dissentiunt, et templum Apollinis Sosiani saepius commemoratur.[5])

Apollinis Palatina aedes ab Augusto singulari munificentia exstructa.

Imperatorum tamen temporibus Apollinis Palatinam aedem maiorem famam assecutam esse, ex ipsis verbis Asconi supra[6]) allatis elucet. Quae inchoata post bellum Siculum singulari munificentia[7]) ab Augusto absoluta

[1]) l. c. I, 1, 438 n. 53.

[2]) cf. Dionis l. XL, c. 47; l. XLII, c. 26; l. LIII, c. 3; l. LIV, c. 6.

[3]) v. Marquardti Röm. Privatalterth. II, 213.

[4]) cf. Jordanum in Ephem. epigr. III, 70 et Prelleri Röm. Mythol. 276.

[5]) Plin. n. h. XIII, 5, 11; XXXVI, 5, 28, alibi.

[6]) p. 4 n. 1

[7]) Monum. Ancyr. P. IV, 22 seq. et 51 seq.; Vell. Pat. II, 81; Serv. ad. Verg. Aen. VIII, 720: „de solido marmore (ut Iovis Tonantis aedes ab eodem Augusto exstructa v. Becker-Marquardt, Handb. I, 407 et Marquardt Röm. Privatalterth. II, 219), quod allatum fuerat de portu Luna.“

et dedicata est a. 726/28 a. d. VII. Id. Octobres.[1]) Causam eius aedificandae Suetonius[2]) et Dio[3]) hanc fuisse nobis persuadere student, quod Palatinae domus pars de caelo tacta fuerit. Sic factum esse dicitur, ut aedes Apollinis Palatina; quae Rhamnusi quoque Apollinis appellatur,[4]) haud procul a priore Augusti domo exstructa[5]) pars esset novi palati.[6]) Postibus corona quercea erat affixa et ante fores duplex stabat laurus.[7]) Nec deerant neque in aede nec prope eam clarorum artificum Graecorum opera: in ea Apollinis signum medium stabat[8]) inter Latonam et Dianam eam, cui cognomen erat Victrici.[9]) Etiam novem Musarum statuas ibi collocatas fuisse cum ex Iuvenalis sat. VII, 37 tum ex Martialis l. XII, 3, 9 licet colligere. Sed ne longus sim, de interiore aede Palatina conferas Plin. n. h. XXXIV, 14; Prop. III, 31, 12; Verg. Georg. III, 26—33; Marquardti Röm. Privatalterth. II, 239 et 334. —

Post Asconium nulla Apollinis templa.

Praeter Flaminium et Palatinum,[10]) quae ab Asconio commemorata sunt nullum Apollinis templum cognovimus;

[1]) v. Beckeri Topogr. Roms 426 et C. J. L. I, 403.

[2]) Aug. 29.

[3]) XLIX. 15.

[4]) Quae Prellerus (Regionen 182) adnotat, eo cognomine Apollinem coniungi videri cum Rhamnusia i. e. Nemesi, quam eandem atque Dianam eis temporibus vulgo esse existimatam, nimia arte sunt dicta; facilius derivamus illud cognomen a statua dei Rhamnusia, quam fecerat Scopas (v. L. Urlichs: Scopas’ Leben u. Werke 67 seqq.). Claudiani de bello Getico praef. 4 templum Apollinis Palatinum appellatur Pythia domus.

[5]) cf. Merkeli ad Ovidi fast. prolegg. p. CXXIX.

[6]) Becker-Marquardt I, 425 seqq.

[7]) Ovidi fast. I, 614; IV, 953.

[8]) Prop. II, 31, 15.

[9]) Huic Augustusvictoriam de Sex. Pompeio reportatam attribuit (Eckhel D. N. VI, 85 et praecipue 95 seqq.), ut Apollini Actio et Palatino (Plin. n. h. XXXVI, 25) Actiacam (Eckhel D. N. V, 137; VI, 107).

[10]) Duo tantum templa Varro quoque commemorat; dicit enim Sat. Menipp. LXXVI. 2 (Oehler): „in oppido quae est aedes Apollinis et quae ibi ad Herculis, ut introeat, nemo se

Apollo enim Sandalarius [1]) et Apollo Tortor [2]) sunt statuae aeque ac Caelispex, cui templum Asconio ignotum vindicare frustra studuit Dernburgius. [3]) De eis autem Apollinis templis quae posterioribus temporibus exstructa esse iniuria tenent viri docti, cf. Jordani Topogr. II, 422.

Itaque de Apollinis templis sacellisque licet statuere haec:

1) anno ? Apollinis Quirinali in colle sacellum,
2) ante a. 321/433 Apollinis sacellum (in pratsi Flam. ?),
3) a. 321/433 aedes vota,
4) a. 325/429 aedes in pratis Flaminiis dedicata,
5) a. 401/353 eadem iterum dedicata,
6) ante a. 723/31 eadem a Sosio exaedificata (?),
7) a. 726/28 (a. d. VII. Id. Oct.) aedes Palatina ab Augusto dedicata.

---

excalceatur.“ Quia autem mentio fit aedis Palatinae, Varronem haec scripsisse necesse est paullo ante mortem; itaque, quoniam saturae illae iuveni ei tribuuntur (v. Ritschelium in Museo Rhen. VI, 554), haec postea addita videntur esse.

[1]) Hoc simulacrum Augustus mercatus est ex stipe, quam cives sua sponte contulerant (v. Suet. Aug. 57). Nomen habet a vico Sandalario (Jordan l. c. I, 515 n. 42), qui erat in regione IV. (v. Curiosum Urbis in Urlichi codice Rom. topogr. p. 6).

[2]) cf. Hermes IV, 232.

[3]) Die Institutionen des Gaius (Halle 1869) p. 22. Irridetur a Jordano l. c. II, 266. Est statua in regione XI. secundum Curiosum Urbis (v. Urlichium l. c. p. 16).

Caput II.

Unde et quo fere tempore Apollinis cultus Romam introductus esse videatur.

Hac in parte quaestionum, quod, qua via et quando hic deus in Urbem immigraverit, certis testimoniis non constat, coniecturis tantummodo ducimur ad proponenda magis minusve probabilia.

De Rhegii atque Cumarum cum urbe Roma necessitudinibus.

Deus praecipue medicans atque expians Apollo Romae erat in honore. [1]) Quae dei natura de illo ritu nos monet, quo Leucade [2]) in insula colebatur, quam Euboici, [3]) priusquam Campaniam peterent, obtinebant. Mirum igitur non est, quod Cumani [4]) Rheginique [5]) coloni Euboici eodem modo eum venerabantur. In promontorio quoque Actiaco, [6]) Cauloniae, Crotone, Metaponti eundem inveniri [7]) cultum satis est commemorasse, quoniam his regionibus cum Roma rationes fuisse priscis temporibus demonstrari non potest. Rhegii Apollinem, ex cuius responso haec urbs condita traditur, [8]) in summo fuisse honore praeter titulos numosque [9]) Phoebeae [10]) indicat cognomen, quod erat huic urbi. Aliud quoque vestigium rationis, quae inter Rhegium et Romam in cultu Apollinis

---

[1]) cf caput III.

[2]) Verg. Aen. III, 274; S. Turpili Leucadia (in Ribbecki Com. lat. 85; 86).

[3]) Fricke, Die Hellenen in Campanien p. 13.

[4]) Müller, Dorier I, 233; Fricke l. c.

[5]) Müller l. c. I, 262.

[6]) Milchhöfer, Ueber den attischen Apollon p. 24. — Plut. Pomp. c. 24. Apollinis Actiaci et Leucadii una facit mentionem.

[7]) Müller l. c. I, 267; praecipue Crotonienses multos habemus numos Apollinem repraesentantes, v. Mionnet, Description de médailles antiques vol. I, 190; vol. suppl. I, 339 seqq.

[8]) Strabo p. 395.

[9]) C. J. Gr. III, n. 5763; Fabretti C. I. Ital. n. 3044 g seqq.; Eckhel D. N. I, 181 seq.; Mionnet l. c. I, 200 seqq.

[10]) cf. Schneidewini de Diana Phacel. et Oreste apud Rheginos et Siculos diss. p. 14.

intercedebat, est de Oreste narratio; apud Hyginum[1]) enim fabulam legimus, qua narratur Orestis[2]) ossa (quae fuerant Rhegii) Aricia Romam esse translata. Hanc fabulam non neglegam, quod ea non solum, quomodo hae urbes deum coluerint, verum etiam, qua via veteres scriptores eum Romam fecerint migrantem, indicari puto; ipsum autem Hyginum virum antiquitatis peritissimum[3]) hac in re magnae auctoritatis esse arbitror, quia, quoniam bibliothecae Palatinae praeerat, fontes ceteris viris litterarum studiosis fortasse ignoti ei potuerunt patere. Sed est etiam aliud, quod eodem nos ducat, ut Apollinis cultum e colonia Euboica in Urbem venisse sit verisimile; Antiquissimum enim in Italia quasi caput regni Apollinei, ubi deus templum habebat in arce,[4]) erant Cumae, quarum commercio et Aricia,[5]) cuius mentio fit in illa fabula, et praecipue Roma utebatur Tarquiniis regnantibus.[6]) Quorum aetate artes, litteras, mores Graecorum Romam copiosissime influxisse dilucidis verbis dicit Cicero de Rep. II, 19, 34, cf. 21, 37. Per Cumanos Romani litterarum[7]) usum videntur excepisse illis regnantibus; gravioris vero nobis est momenti, quod horum regno libros Sibyllinos, Apollinis dona, Cumis[8]) Romam transportatos

[1]) v. 261, cf. Serv. ad Verg. Aen. II, 116 et Schneidew. l. c.

[2]) Certe hic non est Pseudorestes ille Dionysi comes (de quo cf. Ribbecki Anfänge u. Entwicklung des Dionysoscultus in Attica, Kiel 1869 p. 18), sed qui ab Apolline erat expiatus.

[3]) Zöller, Latium u. Rom p. 147 n. 3.

[4]) Serv. ad Verg. Aen. VI, 9 adnotat haec: „Cum ubique arx Iovi detur, apud Cumas in arce Apollinis templum est.“

[5]) Liv. II, 14; Dion. Hal. VII, 5; prope Ariciam Latini una cum Cumanis Etruscos vicerunt sub finem regni (Zöller l c. 162 et 191).

[6]) Vell. Pat. I, 4, 1 cf. Zoellerum l. c. p. 30.

[7]) Mommsen, Unterital. Dial. p. 39.

[8]) Ihnium, quippe qui his temporibus ad mores institutaque Romana mutanda Graecos contulisse quidquam omnino neget et libros Sibyllinos Tuscae originis fuisse arbitretur (v. Röm. Gesch. I, 67 n. 6), sequi nequeo. Ne Zoellerus quidem, qui rarissime ei obloquitur, hac in re idem cum eo sentit (l. c. p. 77).

esse Suida excepto (s. v. *Ἡροφίλα*) veteres inter sese consentiunt scriptores.[1]) Quodsi inter Cumas et Rhegium libera nobis datur optio, ipsa ex Cumanorum urbe cultum Romam illatum esse existimamus, primum quod Cumae a Roma propius aberant, deinde quod omnes Sibyllae artissime cum Apolline sunt coniunctae,[2]) tum quod Cumis ipsis a Romanis fortasse per XV viros etiam posterioribus temporibus sacrificabatur.[3]) Romani Cumas, antiquam illam Apollinis sedem, sub finem regni prospere sese defendisse ab Etruscis[4]) viderant. Qui cum eodem fere tempore ab eisdem hostibus graviter urgerentur, nonne petere potuerunt, quippe quorum religio tota in experientia esset collocata,[5]) hunc deum etiam in belli periculis medicantem? Ac quoniam, ubi Tarquinius Superbus expulsus fugit Cumas, celeberrima quae ante erant inter Romam Cumasque commercia, turbata videntur esse,[6]) Apollinem ante id temporis deis Romanis adiunctum esse arbitror. Minimum igitur temporis intervallum statuo inter Apollinem et libros Sibyllinos Romam receptos, quos secundum gravissimos auctores[1]) a Tarquinio Superbo emptos esse censemus. Et vulgatam quidem sequar opinionem, post haec carmina accepta

Tarquinio Superbo rege cultum in urbem irrepsisse verisimile.

[1]) Varro apud Lact. Inst. Div. I, 6, Ioan. Lyd. de mens. 4, 34, Isid. orig. 8, 8, Suid. s. v. *Σίβυλλα*, in Friedliebi Orac. Sibyll. anonymus id factum esse tradunt rege Tarquinio Prisco, Tarquinio Superbo Dion. Hal. IV, 64, Gell. I, 19, Plin. n. h. XIII, 27,88, cf., Lange, Röm. Alterth. I³, 448 n. 1 et 2 ac Lewis, Untersuchungen über altröm. Gesch. I, 483 n. 305.

[2]) Marquardt, Handb. VI, 344. Neminem offenderit, quod oracul. Sibyll. VI, 3 seqq. (ed. Friedlieb) Sibyllae legimus verba haec: *Μέλλω ἀφ' ἡμετέρου παναληθέα μαντεύεσθαι.*
Οὐ ψευδοῦς Φοίβου χρησμηγόρος, ὅντε μάταιοι
Ἄνθρωποι θεὸν εἶπον, ἐπεψεύσαντο δὲ μάντιν ...
et V, 326 *ἀνθ' ὧν εἵλετο τὴν Φοίβου δ[ι]ολοεσσαν ἀοίδην....*

[3]) Obseq. 28 (87), cf. Marquardt, Handb. VI, 381 n. 5.

[4]) Fricke, Die Hellenen in Camp. p. 15.

[5]) Serv. ad Verg. Georg. III, 456.

[6]) Dion. Hal. VII, 2.

deum immigrasse: nam quibus de causis Klausenus[1]) ea in Urbem non irrepsisse arbitretur nisi per cultum Apollinis, equidem non video. Sub Tarquinio autem Superbo deum in Urbe coli esse coeptum plerique viri docti inter sese consentiunt,[2]) cum Ihnius etiam eo tempore, quo Vei a Romanis expugnarentur, Apollinem his ignotum fuisse deum nimis audacter pronuntiasse videatur. Nos quidem, cum Nitzschi[3]) assentiamur sententiae, qui putat omnia in Italia Graecorum numina maxime potissimumque excepta esse a plebe, non miramur, quod inter illud tempus, quo deum Romam venisse arbitramur et quo prima eius cultus inveniuntur vestigia, anni praeterierunt complures. —

Quomodo hic cultus ad stabiliendam inter patricios et plebeios concordiam valuerit, infra[4]) videbimus, hoc autem loco commemorare haud alienum duco, antiquo ternario deorum patriciorum numero (Iovi, Marti, Quirino) non primum oppositum esse Apollinem deasque ei propinquas, sed Capitolinorum numinum (Iovis, Iunonis, Minervae) cultu, ut patricii cum plebeis coalescerent, operam dedisse Tarquinios.[5])

---

[1]) l. c. I, 258 dicit haec: „Der Dienst des Apollo ist wohl nicht in Folge der sibyllin. Bücher eingeführt, sondern diese in Folge von jenem, beides durch die Tarquinier.“

[2]) In eis est etiam Marquardtius l. c. VI, 345.

[3]) v. Zoellerum l. c. 19 et 91.

[4]) v. p. 39 seq.

[5]) Lange, Röm. Alterth. I^3, 449.

Caput III.

De natura et cultu Apollinis.

De Apollinis nomine Graeco et Latino.

Ad fundamenta seu prima fabularum vestigia indaganda opus esse arte grammatica in primis Welckerus enuntiavit, quem iure omnes viri docti (Pottius, Lerschius, Maximilianus Muellerus, Adalb. Kuhnius, alii) hac in re sunt secuti. Certe dubitari non licet, quin numinis alicuius natura aliquatenus indicetur nomine. Quid Apollinis nomen significet, et veteres inter sese dissentiunt scriptores et apud recentiores tanta lis est, ut de consensu paene desperandum sit. Quam variis rationibus id sit explicatum, hic enumerare longum est: quae etyma[1]) apud veteres valuerint, apud Macrobium Sat. l. I, c. 17 invenire potes, et recentiorum nonnulla affert Goebelius,[2]) qui omnes difficultates a se solutas esse gloriatur.

Derivat enim id nomen a radice *σπαλ*, quae tot vocibus ab eo supponitur et tanquam venando exanimatur, ut statim suspecta esse videatur. Id unum concedo propter *῾Απλοῦν*,[3]) quae forma Thessalica facilius contrahi potuit ex *Α-πελουν*, quam ex *Απ-ελουν*, litteram *π* posteriori huius vocis parti esse tribuendam;[4]) male igitur Apollinem derivari existimo a voce *ἀπόλλυμι*, quae etymologia etiam hac de causa est improbanda, quod perdendi vis in hoc quidem deo certe non praevalebat natura salutari. Plura de hoc nomine dicere non audeo.

Nec magis constat, quid significet Aperta nomen dei Latinum. Daceri et Scaligeri etymologiam, qui hanc

---

[1]) Disputavit de eis Ehlinger in diss. de Apolline et oraculo eius Delphico scr. (in progr. gymn. Emmerich. anni 1870).

[2]) Lexilogus zu Homer u. d. Homeriden p. 31 seq.

[3]) Plato in Cratylo (405 C) dicit: „*῾Απλοῦν φασι πάντες Θετταλοὶ τοῦτον τὸν θεόν.*“ — Forma *᾿Αππελλουν* in titulo est tradita, cf. Muelleri Etrusker II, 69. — Aplu est forma Tusca.

[4]) Fere idem sensit Pylius (Mythol. Beiträge p. 138).

Vaticinandi quae est Apollini vis prima Romanis nota videtur fuisse.

vocem ortam putant ex Graeca ἠπειρώτης, [1]) hodie certe nemo probat. Neque similibus exemplis potest fulciri derivatio a Welckero proposita; putat enim Apertam eandem esse vocem atque Ἀπείρκτην. [2]) Ad Festi igitur explicationem refugiendum est, quoniam caremus meliore. Ex hoc lexicographo Paulus in epitome p. 22 sumpsit haec: „Aperta idem Apollo vocabatur, quia patente cortina responsa ab eo dentur." E quibus verbis, etsi ad nomen interpretandum ab omni parte non sufficiunt, voce Apertae vim dei significari futuras res aperiendi [3]) concludere non dubito. Si hoc statuimus et cum Ritschelio [4]) nomen illud antiquissimis tribuimus temporibus, hanc dei vim Romanis primam fuisse notam licet conicere. Fieri enim potuit, ut hi ipsi non assueti deos patrios, qui aut adnuebant aut abnuebant, consulere, quid fieret, sed, num quis ex eis propositum probaret necne, huic deo nomen darent ex eo, quod, quae essent futura, aperiebat verbis copiosis. [5]) Eadem de causa libri Sibyllini,

---

[1]) In corp. grammatt. latt. vett. ed. Lindemannus tom. II, 332 Dacerus adnotat haec: „Aperta lingua Terentina, quae magna ex parte Aeolensis fuit, ἀπερώτα hoc est ἠπειρώτης, quod transmarinus deus sit et peregrinus." Eandem viam ingressus est Scaliger, cf. Encyclop. Hal. s. v. Aperta.

[2]) cf. Welckeri Gr. Götterlehre I, 460.

[3]) Praeter ceteros eandem habet sententiam Bouché-Leclerq, Les pontifes de l'ancienne Rome p. 55.

[4]) In Museo Rhen. (XII, 106) talia nomina propria dicit ascribenda esse „einer Zeit alten Verkehrs mit griech. Stämmen, in der sich das latin. Ohr und Organ, ungebunden durch die schriftl. Fixirung f. d. Auge, die fremden Klänge mit der naivsten Willkühr anbequemte." Pergit autem: „Muss es doch eine solche Zeit gewesen sein, in der ... Ἀπόλλων gar zu Aperta umgebildet wurde." — In medio haud dubie est forma Apello ab Aeolibus aut Doriensibus Graeciae Magnae excepta.

[5]) Hanc vim designant epitheta fatidicus (Ov. fast. II, 262), futura aperiens (Verg. Aen. VI, 12), augur (Hor. carm. I, 2, 32; Val. Flacc. I, 234; Martian. Cap. I, 10), vatum pater (Stat. Silv. I, 2, 220), vates (acc.) inspirans (Verg. Aen. VI, 12), vates (Val. Flacc. IV, 445).

Apollinis beneficia, [1]) magni aestimabantur: iacebant enim liberae reipublicae temporibus in sacrario [2]) sub templo Iovis Capitolini, [3]) ab Augusti aetate in aede Apollinis Palatina, [4]) et collegium, [5]) quod cum duobus servis linguae Graecae peritis carmina interpretabatur, paullatim tanta fruebatur auctoritate, [6]) ut aequiperaret augures atque pontifices.

Quamquam in his libris, quibus praedictiones Apollinis contineri existimabantur, [7]) remedia taetrorum prodigiorum [8]) inveniebantur, atque alia portenta aut Etrusci haruspices interpretabantur aut pontifices procurabant, [9]) tamen Romani oracula propius sita, ut Cumanorum,

---

[1]) Flav. Vopisc. Aurelian. 19, 4.

[2]) Gell. I, 19.

[3]) Dion. Hal. IV, 62, cf. Lange l. c. I^3, 449. Etiam nova carmina in Capitolio restituto a. 678/76 sunt posita, v. Lact. de ira Dei 22, 6.

[4]) Suet. Aug. 31, cf. Serv. ad Verg. Aen. VI, 71 et Ammian. XXIII, 3.

[5]) Sunt II viri sacris faciundis, ab a. 387/367 X viri (Liv. VI, 37 et 41), quorum numerus ad XV viros adauctus videtur esse a Sulla, cf. Lange l. c. I^3, 451 seq. et Mercklin, Die Cooptation der Römer p. 102.

[6]) Liv. XXVII, 37, 11 et XL, 47, 3; Cic. in Verr. IV, 49, 108, cf. Lange l. c. — Hoc collegium inferius fuisse pontificibus negat Marquardtius l. c. VI, 365 n. 1.

[7]) Cic. de harusp. resp. 9, 18; Val. Max. I, 1.

[8]) Varro R. R. I, 1; Liv. XXII, 9; Dion. Hal. IV, 62: „χρῶνται δ'αὐτοῖς, ὅταν ἡ βουλὴ ψηφίσηται, στάσεως συμπεσούσης κατὰ πόλεμον, ἢ τεράτων τινῶν καὶ φαντασμάτων μεγάλων καὶ δυσευρέτων αὐτοῖς φανέντων, οἷα πολλὰ συνέβη," cf. Appiani bell. civ. I, 83. Multorum prodigiorum, de quibus legimus apud Livium praecipue a tertia decade — Schwedius in diss. Lips., quam scripsit de pontificum collegii pontificisque maximi in re publica potestate, fere L prodigia enumerat, et Bernaysius in Mus. Rhen. (XII, 436), cur in prima decade minus sint numerosa, ostendit — magnam partem eo possumus explicare, quod anxietas, quae a Graecis erat aliena, hominibus Italicis solebat inesse (cf. Boissier c. I, 7 seq.).

[9]) Marquardt l. c. VI, 249 seqq.

Spinitarum, Caeritum minus respicientes[1]) priscis iam temporibus Delphicum deum dicuntur consuluisse.

Num Delphos miserit Tarquinius Superbus, in medio relinquitur.

Ad hunc primus Tarquinius Superbus filios sciscitatum misisse traditur.[2]) Causa legationis fingitur haec, quod portenta et somnia effecerint, ut rex domui suae timeret; nidum enim, quem in palma alta duae aquilae haud procul a regia construxissent, a vulturibus disiectum, pullos necatos, parentes expulsos esse.[3]) — Quanta fides huic narratiunculae sit habenda, praecipue inde elucet, quod Romae non erant palmae.[4]) Exstant aliae quoque de causa huius legationis fabellae, quas cum ad mala domui Tarquiniae imminentia pertineant, a posterioribus suppositas esse censeo, qui et explicare vellent, qua de causa regis filii legationi praefuissent, et ostendere studerent, a deis calamitates futuras hominibus ratione aliqua indicari. Propius ad verum accedere videntur, quae apud Dionysium (IV, 69) scripta legimus, deum esse consultum propter pestem praecipue mulieres gravidas urgentem. Num autem legatio illa omnino sit ficta, decernere non possumus; certe eo tempore Delphica terra et via, quae illuc ducebat, non tam erant ignota, quam Livius (I, 56) narrat, quoniam Caere et Cumas urbes cum Delphis, cum Cumis Romam in commercio fuisse scimus.[5])

Altera cuius mentio fit (ad a. 355/399) legatio in suspicionem vocatur.

Similis est ratio alterius legationis, quae sub finem ultimi belli Veientis (a. 355/399) a republica Romana Delphos missa traditur. Causa supponitur haec, quod lacus in Albano nemore sine ullis caelestibus aquis causave qua alia, quae rem miraculo eximeret, in altitudinem

---

[1]) Etiam Etrusci oraculum petunt Delphicum, v. Hdt. I, 167.

[2]) Ovidi fast. II, 713; Liv. I, 56; Cic. de rep. II, 24, 45, Brut. 14; Val. Max. VII, 3, 2; Plin. n. h. XV, 30, 134; Dion. Hal. IV, 69; Dio XI, 12; Zon. VII, 11.

[3]) Dion. Hal. IV, 63; Zon. l. c.

[4]) Rothman, Observations on the Climate of Italy p. 6; cf. Hehn, Culturpflanzen etc. p. 187.

[5]) cf. Weissenb. ad l. c.

crevisset insolitam,[1]) ut in propinquam redundaret planitiem.[2]) — Etsi rem miram ita tollere possumus, ut vi ignis subterranei aquas magnas factas esse coniciamus, propter multa tamen, quae accedunt suspecta, etiam de oraculo licet dubitari, quo praeter ceteros Schweglero scrupuli sunt iniecti. A senatu enim id subiectum esse arbitratur vir ille doctus,[3]) ut fortasse multitudo caeca eo promptius toleraret sumptus, quos faceret cuniculus agendus; aliter timendum fuisse, ne contra niterentur. Hanc sententiam quin probabilem ducam facere non possum.

Veis captis cratera aurea deo mittitur.

Fide digniora censeo, quae de cratera aurea Veis captis Apollini Delphos dedicata legimus. Ante Veios captos Camillum decimam praedae partem Apollini vovisse; pontifices, ad quorum collegium senatus rem reiecisset, utrum rerum tantum moventium an etiam urbis atque agri capti decima pars Apollini esset designanda, agrorum quoque preti decimam deo dandam decrevisse. Quod autem agris aestimatis non satis auri in aerario fuisset, matronas omnia ornamenta sua detulisse, ut cratera aurea Apollini Delphos portaretur.[4]) Quod donum ibi in thesauro Massiliensium Romanis amicorum positum ab Onomarcho sacrilego alterius belli sacri temporibus conflatum, basim vero etiam Appiani aetate ostensam.[5]) — Omnino igitur pro certo res affirmatur. Omisi nimirum, quae maxime dubia videntur esse; neque.

---

[1]) Liv. V, 15, 3.

[2]) Cic. de divin. I, 44, 100, cf. Dion. Hal. XII, 11 seq.; Plut. Camill. c. 3; Zon. VII, 20: „ . . . λίμνη . . . ἐς τοσοῦτον ἐπλήμμυρεν ὡς ὑπερεκχεῖσθαι καὶ τῶν ὀρῶν καὶ κατιέναι πρὸς θάλασσαν.

[3]) Röm. Gesch. III, 218 seq.

[4]) Liv. V, 23 et 25; Plut. de vitando aere alieno c. 3; Plut. Camill. c. 8; Appian. de reb. ital. fr. VIII, 1; Diod. XIV, 91, qui matronarum omittit munificentiam; Zon. (VII, 21) et praedae decimam et coronam auream dedicatam esse tradit. In maius igitur hoc quoque loco rem extollit, ut paullo antea de inundante lacu Albano.

[5]) Appian. l. c.

quae apposui, omnia sunt talia, ut statim ad ea credenda adducamur. Sed nihilominus, etsi, quomodo aurum sit collectum, in medio est relinquendum, etsi, qua ratione tota res narretur, per se minoris est momenti, missam esse Delphos crateram illam haud negaverim. Ihnius certe, qui belli Veientis temporibus Apollinem Romanis ignotum fuisse deum arbitratur, quin eam dedicationem a Delphicis posterioribus fictam esse pronuntiet,[1] facere non potest. Sic evenit, ut artificiosius haec diceret: „Es (scil. decimae illa consecratio) war wohl nichts anderes als die auf das vejent. Gebiet jetzt ausgedehnte Verpflichtung, von dem Staatslande einen Zehnten zu zahlen, eine Verpflichtung, die sich vom eigentlichen Staatslande von selbst verstand und bei der neuen Finanzwirthschaft und der neuen Heeresverfassung unumgänglich nöthig war.“[2] — Suspicioni locum non dant Mommsenus[3] et Marquardtius,[4] quos equidem sequi non dubito. Ut praedae pars quaedam Apollini consecraretur, factum esse intellegimus ex Livi[5]) loco, ubi refert auctor legatos a. 549/205 ad donum ex praeda Hasdrubalis portandum Delphos esse missos, sed quaeritur, num et illo et hoc loco de decima agatur. Hanc ipsam praedae partem Apollinis sacram fuisse, non ex ea re icet concludi, quod Pelasgi eiectis Siciliensibus incolis secundum oraculum Dodonae acceptum huic deo eam consecrasse dicuntur.[6] Neque alio loco Liviano,[7] quo scriptor Apollinem ipsum donum a Romanis facit postulantem, de certa praedae parte agitur, et secundum titulum[8] a M. Mindio P. Condetio aedilibus Pythio

[1]) Ihne, Röm. Gesch. I, 209.
[2]) l. c. I, 218.
[3]) C. I. L. I. 149 et Hermes XIII, 537.
[4]) Röm. Privatalterth. II, 11 et 320.
[5]) l XXVIII, c. 45: „legati Delphos ad donum ex praeda Hasdrubalis portandum missi M. Pomponius et Q Catius.“
[6]) Macr. Sat. I, 7, 30.
[7]) l. XXIII, c. 11.
[8]) C. I. L. I, n. 187.

data est vicesima. Non est igitur dubium, quin, quamquam Val. Max. V, 6, 8 (cf. I, 1 Ext. 4) legimus de cratera, „quam Romani Pythio Apollini decimarum nomine dicaverant,“ quota manubiorum pars Apollinis sacra esset, non fuerit constitutum.

Bellorum temporibus Samniticorum deus consultus esse traditur.

Alius monitus ab Apolline accepti bellorum temporibus Samniticorum fit mentio.[1] Tum Pythius „fortissimo Graiae gentis et alteri sapientissimo simulacra celebri loco dicari“ iussit, ut Pythagorae atque Alcibiadi in cornibus Comiti ea ponere patribus placeret. Qua de causa tunc deum Delphicum consuluerint Romani, non traditur.

Num Aesculapius esset arcessendus, ut consuleretur, via Delphos est missum.

Quod autem Ovidius in Metam. XV, 629 seqq. Delphis deum legatis Romanis suadentem facit, ut malorum Urbis finiendorum causa Aesculapius in Urbem advocaretur, nemo Livium[2]) sequi dubitet, qui libros Sibyllinos monuisse narrat, ut ille (ab Epidauro) arcesseretur (quod factum est a. 461/293). —

Q. Fabius Pictor post cladem Cannensem legatus deum petit Delphicum.

Jam sequitur et notissima et minime dubitanda legationum ad Apollinem Pythium missarum. Quis nescit Q. Fabium Pictorem[3]) clade Cannensi accepta a senatu missum esse, qui a deo peteret, ut oraculo, quibus precibus suppliciisque dei possent placari, aperiret? Iratos autem deos populus credebat, cum tantas clades et praeter cetera etiam hoc misissent prodigium, quod duae Vestales stupri erant compertae. Quamquam magni sceleris maximae datae erant poenae, tamen etiam magis sese purgare studebat multitudo severa. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria sunt facta, donec, quibus numinibus et quo modo esset supplicandum, deus responderet. Nec monere hic praetermisit Romanos, ut re publica servata donum ex praeda sibi darent.[4] Et hoc praebitum est Carthaginiensibus

[1]) Plin. n. h. XXXIV, 6, 26; Plut. Numa c. 8.
[2]) l. X, c. 47.
[3]) Liv. XXII, 57; XXIII, 11; Appian. Hannib. c. 27.
[4]) Liv. XXIII, 11.

Victoria ad Senam Gallicam reportata praedae pars Delphos Apollini dedicatur.

gravissima ad Senam Gallicam clade affectis et Hasdrubale occiso: tum Delphos missa est et corona aurea ducentum pondo et simulacra spoliorum ex mille pondo argenti facta.[1] Absentibus legatis, qui id donum deo ferrent, crebrius lapidavit (a. 549/205), ita ut libri Sibyllini inspicerentur. In quibus Magnam Matrem Pessinunte Romam advehendam esse invenerunt X viri,[2] ne quando hostis alienigena Italiam in potestatem suam redigeret.

Num Magna Mater Romam esset advehenda, oraculum Delphicum adeunt legati Romani.

Ne tunc quidem, quae libri commendaverant, statim confecta, sed legati Asiam petentes oraculum Delphicum adire sunt iussi.[3] — Occasione data deum iam eo tempore consultum esse vidimus, non a legatis nullo alio consilio nisi ut oraculum peterent profectis, atque eodem modo rei publicae Romanae responsa saepius esse data propterea licet colligi, quod eius ipsius civitatis legatos ad sacra sollemnia Delphos venisse constat.[4] Illa autem ad Delphicum de Proserpina advocanda relatio est ultima, cuius auctores mentionem faciunt.

Inde a medio fere Urbis saeculo sexto Apollinis divinatio obscuratur.

Inde ab illo tempore i. e. a saeculo Urbis sexto medio carmina Sibyllina cum haruspicibus Etruscis[5] in divinatione videntur praevaluisse: quae de oraculis ab Apolline Pythio tunc petitis traduntur, non ad res

[1] Liv. XXVIII, 45, cf. quae Varro dicit apud Nonium p. 111 s. v. pondo: „Delphos Apollini munera missa: corona aurea pondo ducentum.“

[2] Liv. XXIX, 11, 6; Ov. fast. IV, 257 seqq.

[3] Liv. XXIX, 10 et 11; cf. Val. Max. VIII, 15, 3.

[4] Plut. Camill. c. 8. — Aug. Mommsenus in „Delphicis“ (p. 190) Delphicorum de sacrificio Romanorum affert decretum haud multo post a. 585/169 factum; sed quaeritur, num spectet ad Apollinem. Verba titulo servata sunt haec: „*ἔδωκαν* (scil. *οἱ Δελφοὶ*) *δὲ καὶ πορεύεσθαι ἐν τὸν πρυτανεῖον ἐν τὰν θυσίαν τῶν Ῥωμα(ί)ων καὶ ἐν τὰς λοιπὰς θυσίας ἐν ἃς ἁ πόλις συ(ν)τελεῖ πάσας.*“

[5] cf. Strabonis (l. XVII, p. 813) de divinatione oraculisque verba haec: ...„*τοσοῦτον εἰπεῖν βουλόμεθα, ὅτι τοῖς ἀρχαίοις μᾶλλον ἦν ἐν τιμῇ ἡ μαντικὴ καθόλου καὶ τὰ χρηστήρια, νυνὶ δ᾽ὀλιγωρία κατέχει πολλή, τῶν Ῥωμαίων ἀρκουμένων τοῖς Σιβύλλης χρησμοῖς καὶ τοῖς Τυρρηνικοῖς θεοπροπίοις διά τε σπλάγχνων καὶ ὀρνιθείας καὶ διοσημιῶν.*“

publicas, ut antea, sed ad res tantum privatas pertinent.[1] Ad alia autem Apollinis oracula a civitate Romana legatos esse missos nusquam scriptum videmus, ut Romanorum vita publica, si carmina Sibyllina excipimus, a deo oraculis non saepe commota esse videatur. Quodsi post medium Urbis saeculum sextum a re publica Romana oraculi Delphici consulendi causa legationem missam esse non comperimus, hoc cum eis congruit, quae tradit Cicero de orat. I, 45, 199 et de divin. II, 56, 116. Hoc enim loco, ubi auctor certe non ex sua sententia — siquidem unquam propriam eamque firmam de religione habebat opinionem[2] —, sed philosophos Graecos, unde hausit, secutus de oraculis agit, Enni Pyrrhique aetate Apollinem versus facere dicit desisse. Ex illo autem loco Apollinem apud Ennium gloriari elucet, „se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant.“

Sed quid fuit causae — ut cum Cicerone[3] et Lucano[4] hanc moveamus quaestionem —, cur eo tempore oraculis non eadem atque antea fides daretur? Haec causa sane non minima est afferenda, quam Cicero paene refutavit, quod tunc homines et politiores et minus creduli esse coeperunt.[5] Ennium enim ipsum praecipue Euhemero, qui Romanorum animis severis atque omnia ad vitae usum conferentibus maxime conveniret,

[1] Plut. de Pyth. or. c. 28, cf. Stiefelhagen, De oraculo Apollinis Delphico p. 38. Sic deum Delphicum consuluisse ac donavisse dicitur Cicero (Plut. Cic. c. 5 et de EI apud Delph. c. 3), App. Claudius Pulcher (Luc. Pharsal. V, 194, cf. 230).

[2] Boissier l. c. I, 61.

[3] De divin. II, 57, 117 seq.

[4] Pharsal. V, 113 seqq.

[5] Minucius Felix (Octav. c. 26) verba ex Ciceronis l. c. sic composuit: „De Pyrrho Ennius Apollinis Pythi responsa confinxit, cum iam Apollo versus facere desisset, cuius tunc cautum illud et ambiguum defecit oraculum, cum et politiores homines et minus creduli esse coeperunt,“ ut verba „cum Ap. v. f. desisset“ interpretaretur sequentibus (cum et polit. etc.).

effecisse, ut dei minoris aestimarentur,[1]) inter omnes constat. Sed non solum illo libro, verum etiam alibi, quid de numinibus censeret, libere pronuntiavit.[2]) Non est igitur mirum, quod nugis anus vel hariolorum, qui tunc coeperunt vigere,[3]) mox eadem fides habetur atque Apollinis carmini, ut Octaviano bello vatis alicuius furibunda audita est praedictio, et bello Marsico senatus ad agendum descendit secundum somnium vatis insanae,[4]) cum sub finem Punici belli primi, ne Lutatius consul innocentes sincerasque sortes Praenestinas consuleret, senatus interdixisset.[5]) Nec memoratu indignum duco, Sullam dictatorem, qui Apollinis parvum signum Delphis sublatum in proeliis secum ferre et in conspectu militum complexus orare soleret, ut promissa maturaret, oraculum Delphicum spoliare non esse veritum.[6])

De Apollinis vi medica.

Ut ille civitatis gubernator, sic tota res publica Romana semper summam habebat fidem dei facultati medendi, quam et fabula supra[7]) commemorata et frequens lauri usus[8]) ostendit. Deus medicans atque expians in honore erat tam praecipuo, ut virgines Vestales indigitarent

---

[1]) Krahner, Grundlinien zur Gesch. des Verfalls der röm. Staatsreligion p. 37 seq. — Ab Euhemero Messanio etiam Apollinem natura divina privatum esse ex Diod. V, 46 licet colligi.

[2]) v. Tragoed. reliqq. vv. 269—271 R., [cf. 272 seqq. (al.)]:
„Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus;
Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest ..,“

[3]) Merivale, l. c. III, 26.

[4]) Cic. de divin. I, 2, 4: ....„saepe hariolarum etiam et vatum furibundas praedictiones, ut Octaviano bello Cornelii Culleoli, audiendas putaverunt. Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitae L. Iulius ... de senatus sententia refecit ex Caeciliae Balierci filiae somnio,“ cf. Cic. l. c. 44, 99.

[5]) Val. Max. I, 3, 1.

[6]) Plut. Sull. 12 et 29; Val. Max. I, 2, 3.

[7]) p. 14 n. 1.

[8]) Apud Martianum Capellam (I, 24) Mercurius Apollinem appellat Lauripotentem.

„Apollo Medice, Apollo Paean.“[1]) Pro valetudine populi a. 321/433 aedes ei est vota,[2]) lectisternium primum, in quo a. 355/399 prae ceteris deis fere adventiciis lectus sternitur Apollini, libri Sibyllini inspecti faciendum nuntiaverunt, cum pestilentia rem publicam graviter tentaret.[3]) Neque est dubium, quin omnes supplicationes atque omnia lectisternia carminibus Sibyllinis commendata et a custodibus atque interpretibus horum carminum administrata in honorem praecipue Apollinis sint habita,[4]) primum quod iam in primo lectisternio hic cum Latona matre Dianaque sorore primum obtinebat locum,[5]) deinde quia supplicantium agmen ab aede Apollinis duci solebat,[6]) postremo quod deorum pulvinaribus fides praecinebant.[7]) Maxime autem medicina eius opus erat Punico bello

---

[1]) Macr. Sat. I, XVII, 15. — Sprengelius (Gesch. d. Medicin I, 207) virgines Vestales sacerdotes fuisse Apollinis medici confidenter est elocutus artis veteris nisus monumento apud Montefalconium (antiq. expliq. Suppl. Tom. II, 90) depicto. Sed etsi vir ille in ara sedens esset Apollo, nimium tamen vidisset Sprengelius. Amplificare potius deorum numerum invocandorum iubebantur illae virgines, quarum preces maxime efficaces haberi solebant, cum pestis vel aliud periculum civitatem urgeret (Marquardt l. c. VI, 330 n. 3 et 4).

[2]) Liv. IV, 25, 3.

[3]) Liv. V, 13; Dion. Hal. XII, 9.

[4]) Marquardt l. c. VI, 45 seqq.

[5]) Quo ordine deae tunc deique in singulos distributi sint lectos, nescimus — Livius enim primum lectum videtur assignare Apollini Latonaeque et Dianae, cum Dionysius Herculi et Dianae alterum faciat stratum — attamen in primis nominantur Apollo deaeque ei propinquae.

[6]) Liv. XXVII, 37.

[7]) Cic. Tusc. IV, 2, 4, ubi Heinius Dorienses Apollinem plerumque fidibus coluisse adnotat; eidem tibiam, cuius sonus esset lascivior, a cultu publico ludisque festis Apollinis removerunt (Ehlinger l. c. p. 17), et Delphis, alibi in eodem cultu tibiae usus frequentior coepit esse inde a quadragesima demum olympiade octava; cf. Schreiber, Apollon Pythoktonos (Leipzig 1879) p. 25. Nihilominus Censorinus (XII, 2) apud Romanos omnibus supplicationibus in sacris aedibus tibicinem adhibitum tradit. Quamquam Apollinis Romani cultui tibiam furiosam (Ov. fast. IV, 341) non omnino defuisse ex Liv. l. XXV,

secundo, quo cum ceteris [1]) deis tum Apollini peculiarem et insignem caerimoniam Romani conficiebant. Sic ludi Apollinares a. 542/212 instituti sunt, de quibus nova non sunt decreta nisi cum calamitates imminerent. [2]) Veteres, utrum victoriae an valetudinis causa primum sint facti, frustra inter sese dissentiunt, quoniam quae Apollini vis est medendi tam late patet, ut etiam victoriae ea parentur, quod Marci carmine indicatur, cuius hoc est initium: „hostes, Romani, si ex agro expellere vultis, Vomica quae gentium venit . . . .“ Sanat enim ille medicus et animi [3]) morbos et corpori [4]) affert salutem viresque dat ad pugnas suscipiendas, maxime autem perducendas has curat ad prosperum eventum. Itaque, etsi in acie non versatur, auctoritatem suam tum demum interponit, cum ultimi discriminis tempus adventat, et ipse celeriter victoriam pacemque est allaturus. [5]) Talis a Graecis colebatur appellatus *ἀκέσιος, ἐπικούριος, ἀλεξίκακος, προστατήριος,*

---

c. 12, Macr. Sat. I, 17, Fest. p. 326 intellegimus, tamen, quod sine dubio fides ibi praevalebant, apud Censorinum vocem tibicinis e proximis verbis pro fidicine in textum irrepsisse arbitrarer, nisi potius ex collegio tibicinum et fidicinum — qui sacris publicis praesto sunt, v. C. I. L. VI, 2191, cf. Orelli 2448; adhibebatur hoc collegium in triumphis (v. App. Pun. 60) et pompis sollemnibus (v. Dion. Hal. VII, 72) — poni liceret solos tibicines vetustiores commemoratos esse, etiam si ambo canerent. Fidicinum solorum non fit mentio nisi C. I. L. VI, 2192, saepius tibicinum (ibid. 3696, 3877, 3877a). Salmasius (v. Plinianas exercitationes in Solini Polyhistoria vol. I, p. 122), quem locus Censorinianus fugit, tibicines supplicationibus interfuisse omnino negat.

[1]) Sippell, de cultu Saturni p. 47.

[2]) Liv. XXVII, 11 et 13; plura v. capite IV.

[3]) Stat. Silv. V, 3, 12, cf. V, 5, 3.

[4]) Musae, quarum chorum regit Apollo (cf. Lutatium Catulum apud Prob. in Verg. georg. III, 293 p. 62 K.), animi tantum morbos musica leniunt ac sanant (cf. Censor. XIV, 13).

[5]) Fest. p. 326, Macr. Sat. I, 17, 24 et 25, cf. Prop. V. 6, 70. Apud Graecos in Apolline, a quo eorum Mars impotens modo in pugnam agitur modo ex pugna, ut fert libido (Hahn, Sagw. Stud. p. 498), idem apparet (Hom. *E*, 432 seqq., *Π*, 788, *Σ*, 456), ut bello finito hymnus canatur Apollini (Schol. ad Thuc. I, 50, 5:

ἀποτρόπαιος, βοηδρόμιος, [1]) ut autem in cultu Romano eadem facultas praevaleret, cum Apello, quod nomen ab Aeolibus aut Doriensibus Italiae inferioris sumpserant, tum libri Sibyllini videntur effecisse. Attributa, quibus Romani illam Apollinis naturam indicant, sunt haec: Paean, [2]) medicus, [3]) opifer, [4]) pacifer, [5]) mala apellens, [6]) victor, [7]) praestans, [8]) sanctus, [9]) propugnator, [10]) salutaris, [11]) conservator Augusti, [12]) quorum quaedam, ut sanctus et opifer, Herculis quoque sunt epitheta superantis omnia

---

δύο παιᾶνας ᾖδον οἱ Ἕλληνες, πρὸ μὲν τοῦ πολέμου τῷ Ἄρει, μετὰ δὲ τὸν πόλεμον τῷ Ἀπόλλωνι). Romanorum autem duces ex bello reversi de rebus a se gestis agunt aut iuxta Bellonae templum (Tiesler, De Bellonae cultu et sacris p. 11) aut Apollinis (Weissenb. ad Liv. III, 63). Num Roscherus (Apollon u. Mars, Leipzig 1873) Graecoitalis Apollinem Martemque eadem fuisse numina recte affirmaverit, cum Wieselero (Gött. gel. Anz. a. 1874, p. 1400 seqq.) dubito neque huic in eis, quae alia proposuit, prorsus assentior.

[1]) Müller, Dorier, I, 298; Ehlinger l. c. p. 11. De ampla dei vi medica Plut. (in Quaest. convival. VIII, 44) Praxitelem haec facit dicentem: „*Σκύλων δὲ Πυθοῖ καὶ ἀκροθινίων καὶ τροπαίων ἀναθέσεις ἆρ᾽ οὐ συμμαρτυροῦσιν ὅτι {τῆς εἰς τὸ νικᾶν καὶ κρατεῖν δυνάμεως τῷ θεῷ τούτῳ πλεῖστον μέτεστιν;*“ et paullo antea: „*παρ᾽ οὗ τὴν ὑγίειαν ἔχομεν θεοῦ, τοῦτον εὐεξίαν τε διδόναι καὶ ῥώμην ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας ᾤοντο* (scil. *οἱ Ἀθηναῖοι*).

[2]) Liv. XL, 51, Petron. fragm. XLI, Macr. Sat. I, 17, 15; Stat. Silv. I, 2, 2; II, 7 8; Theb. I, 636.

[3]) Liv. l. c.; Macr. l. c.

[4]) Ov. Metam. I, 521.

[5]) Orelli Inscr. lat. I, n. 1440.

[6]) Macr. l. c.

[7]) Prop. V, 6, 70.

[8]) Orelli l. c.

[9]) Naev. bell. Pun. rel. l. I, 7 (Vahlen), Cic. Tusc. IV, 34, 73, de divin. II, 56, 115 (Varro L. L. VII, 17), Sext. Turpil. 118, cf. 114 (v. Scen. Rom. poes. frgm. rec. Ribbeckius II, 100), incert. fabul. VII (Ribb. l. c. I), Val. Flacc. I, 11, cf. Graecum epitheton *ἁγνός* apud Muellerum l. c. I, 304 et 336.

[10]) in numis, cf. Raschi Lexicon univ. rei num. s. v. Apollo.

[11]) Haec epigraphe primum occurrit in numis imperatorum, cf. Raschium l. c.

[12]) cf. Raschium l. c.

mala;[1]) inimicis suis, quamvis sit bonus[2]) Apollo, quamvis ad noxam pigrior,[3]) pestilentiam mittit, ut appelletur deus pestifer[4]) et vulnificus.[5]) Cum Apolline medico, cui priscum illud in pratis Flaminiis templum erat dedicatum,[6]) compluria Apollinis epitheta Graeca paullatim in unum sunt confusa, quorum numero ascribam inprimis *ἀρχηγέτην, δελφίνιον, μάντιν* (*ἰατρός* et *μάντις* apud Graecos quoque sunt coniuncta in voce *ἰατρόμαντις*, quam apud Homerum nondum scriptam videmus),[7]) *Μουσηγέτην, τοξότην*. Ac studia nostra in se convertit, quod Romae vestigia reperimus Apollinis delphinii, quem apud Graecos in *ἀρχηγέτην*, apud Romanos in medicum concessisse statuimus. Illum Graeci tutorem existimabant nautarum virorumque, qui colonos ducebant.[8]) Colebatur praecipue a Chalcidensibus,[9]) Cumanos vero eidem tribuisse cultum et ex loco, quo erat Cumis Apollinis templum,[10]) et ex origine incolarum concludi potest, atque apud Rheginos Apollinem delphinium in honore fuisse testantur numi.[11])

Romae dei symbolum delphinus erat insigne collegi XV virorum ut cortina Sibyllae[12]) et in pompa ab eis

---

[1]) Dion. Hal. I, 38, 41, alibi.

[2]) Stat. Theb. X, 163.

[3]) Macr. Sat. I, 17, 13.

[4]) Arnob. IV, 22.

[5]) Martian. Cap. I, 13, cf. Petron. 83, Val. Max. I, 1, 18, ubi nobis repraesentatur acer sui numinis vindex, ibid. I, 1 Ext. 9, 1, 8 Ext. 8; App. Pun. 127; Porph. ad Hor. carm. saec. v. 33.

[6]) Liv. XL, 51,

[7]) Lobeck, Aglaophamus I, 312.

[8]) Pausan. X, 13, 5; Poll. IX, 6, 80; cf. Lampros, De coloniarum graecarum indole praemiisque et honoribus (diss. Lips. a. 1873) p. 19; Schreiber, Apollon Pythoktonos p. 49 n. 48.

[9]) Mommsen, Heortologie p. 49*; Preller in „Berichte der sächs. Gesellsch. d. W. VI (1854) p. 152.

[10]) Fricke l. c. p. 13.

[11]) Mionnet l. c. I, 200.

[12]) Klausen l. c. I, 303; Eckhel D. N. 317; Marquardt l. c. VI, 369.

circumferebatur pridie quam fiebat sacrificium.[1]) Etsi autem ab initio, ubi primum Apollo Romae coli est coeptus, dei illud symbolum ibi in usu fuisse et delphinii naturam notam fuisse licet conici, tamen nemo putet Romanos iam eis temporibus credidisse urbem suam per Apollinem conditam esse, qui una cum Venere effecisset, ut Iuppiter Achillem saevum, ne omnes necaret Troianos, impediret,[2]) et cuius oraculo instructus Aeneas Italiam petisset.[3]) Fabulam enim Aeneae in Italiam profecti iam tunc in Urbem influxisse cum fere omnibus viris doctis quin negem facere non possum.[4])

De Apolline in Solem deum converso.

Medicam illam dei vim sub finem liberae rei publicae valde amplificatam invenimus: Apollo in Solem deum convertitur atque interdum tanquam unicus praedicatur deus, ut omnia cetera numina obscurentur. — Iam, quomodo id factum sit, quaeramus. Plerique illius commutationis causam putant hanc esse, quod a. 671/83 una cum templo Capitolino libri Sibyllini incendio sint deleti. Carmina enim nova Samo, Ilio, praecipue Erythris, per Africam quoque ac Siciliam Italicasque colonias quaesita acriter homines ad unius dei cultum vocabant.[5]) Nihilominus incendium illud, quamquam gravissimum duco momentum, non videtur effecisse, ut cultus plane in aliam converteretur rationem; viam enim ad unius dei cultum ducentem iam antea patefactam fuisse arbitror. Nam etiam in vetere Apolline Graeco talis cultus naturam apparere recte vidit Bernhardyus, qui in historia litterarum Graecarum (I, 105)

---

[1]) Serv. ad Verg. Aen. III, 332; quae ibi de XV viris tantum traduntur, omnino ad collegium sunt referenda; non est enim dubium, quin ille mos etiam II virorum et X virorum temporibus fuerit.

[2]) Hom. *E*, 432 seq.; Hor. carm. IV, 6, 21 seq.

[3]) Verg. Aen. IV, 345; VI, 58 seq.; Hor. carm. saec. v. 39.

[4]) Zoellerus l. c. p. 83 eam fabulam non ante leges Licinias (a. 387/367) Romanis innotuisse arbitratur.

[5]) Dion. Hal. IV, 62, qui testem appellat Varronem; Tac. ann. VI, 12; Lact. I, 6; Aug. de civit. dei XVIII, 23.

dicit haec: „Die Hoheit und Sittenreinheit dieses Apollocultes, der, von aller phantastischen Mythologie entkleidet, einem monotheistischen Glauben sich nähert . . .“ Accedit, quod hic idem deus socium sese adiunxit Romanorum numinibus, quae, quo quis altius eorum fabulas cultusque repetierit, eo magis inminui [1]) et totam religionem ad cultus unius divinitatis se acclinare reperiet. [2]) Quae cum ita sint, non miramur, quod disciplina Stoica apud Romanos longe lateque fluxerat, et paullo ante id tempus, de quo agitur, Panaetius ac Posidonius discipulus eius effecerant, ut eadem disciplina denuo radices caperet. [3]) — Quae autem causa fuerit, cur ipsum in Solem deum Apollo converteretur, recte intellegere mihi videtur Kuehnius, [4]) qui „hunc cultum plane novum fuisse neque ullam in prisca Romanorum religione habuisse rationem“ negat, propterea quod Apollo interdum cum Veiove, cui Solis natura tribuitur, sit confusus. [5]) Idem ostendere potuit, si Apollinem cum Iano comparasset; nam hic quoque idem esse atque Apollo credebatur eumque primitus fuisse Solem deum

[1]) Ambrosch, Religionsbücher der Römer p. 24.

[2]) Idem aperuit Augustinus l. c. IV, 11 verbis his: „hi omnes dii deaeque sunt unus Iuppiter; sive sunt, ut quidam volunt, omnia ista partes eius sive virtutes eius sicut eis videtur, quibus eum placet esse mundi animum.“

[3]) Merivale l. c. III, 35. Quae legimus apud Lucilium (XV Lachm.):

„Ut pueri infantes credunt signa omnia aëna
Vivere et esse homines, sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse in aënis“


omnino Stoicorum more sunt dicta (Boissier l. c. I, 57).

[4]) De Q. Horatii carmine saecul. (diss. Vratisl.) p. 43.

[5]) Gell. v. 12, 11 seq., cf. Gerhardi gr. Mythol. II, 277. — Apollinis Veiovis caput in numo (Eckhel D. N. V. 156) expressum esse ex litteris AP ibi adscriptis male concluditur; has enim potius Argentum Publicum significare ipse vidit Eckhelius. Nihilominus in monogrammate AP Apollinis nomen legit Mommsenus, quem iure refellit Kluegmannus (in Numism. Ztschr. X, 225 seq.).

et veteres [1]) cognoverant et recentiores viri docti iterum atque iterum ostenderunt, [2]) cum de natura Veiovis vix quidquam certi sciamus. Solis igitur vis, quae Apollini sine dubio erat principalis, [3]) viribus derivativis obscurata videtur iacuisse, donec, ut haec in illo denuo appareret, maxime novi libri Sibyllini et Stoicorum disciplina efficerent.

Iter autem, quo praecipuae vires fortasse sunt progressae, est hoc:



Imperatorum temporibus Apollinis naturam Solis dei propinquam esse habitam hac re indicatur, quod fastigio templi Apollinis Palatini, in quo numinum huic deo propinquorum statuas positas fuisse supra vidimus, Sol in quadriga stans erat expressus. [4]) Neque hoc est

[1]) Macr. Sat I, 9, 8: „Nigidius pronuntiavit Apollinem Ianum esse Dianamque Ianam—Ianum quidam solem demonstrari volunt,“ cf. ibid. I, 17, 42, 64; Ioan. Lyd. de mens. IV, 2; Placid. Gloss. p. 54 (Deuerling): „hunc (scil. Ianum) quidam Iovem, quidam Solem esse crediderunt;“ Arnob. III, 29: „Ianum quidam mundum, annum alii solemve esse prodidere nonnulli;“ cf. etiam Montefalconium l. c. I, 26.

[2]) Schwegler, Röm. Gesch. I, 218 n. 2, ubi addas, iam Creuzerum (Symbolik II, 882) Apollinem *θυραῖον* cum Iano contulisse. Solstiti symbolum fuisse ianam legimus in Norki Etymol.— symbol. — myth. Realwörterbuch s. v. Aperta.

[3]) Hahn, Sagw. Stud. p. 482.

[4]) Prop. III, 29, 9 seqq.:

„Tum medium claro surgebat marmore templum
Et patria Phoebo carius Ortygia,
In quo Solis erat supra fastigia currus . . .;“

cf. Kuehnium l. c. p. 42.

neglegendum, quod in lorica statuae imperatoris Augusti,[1]) qui et ab aliis Apollo appellabatur et ipse se Apollinis habitu formandum aere curaverat,[2]) praeter Apollinem deasque genere ei proximas etiam Sol est fictus. Numus quoque exstat, qui Apollinem seu Solem capite radiato globum tenentem praebet et hanc epigraphen: APOL· CONS· AVG·[3]) Inter scriptores autem Romanos Apollinis in Solem deum conversi mentio non fit nisi apud poetas, qui in referendis, quae de deis traduntur, fabulis Graecis acquiescunt. Velut Horatius idem, qui Apollinis prisci vim notissimam carm. I, 21, 13 seqq. acute depinxit ita:

„Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece,"

Apollinem tanquam renatum cum Sole aequat carminis saecularis (v. 9 seqq.) verbis his:

„Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris: possis nihil urbe Roma
Visere maius!"

Neque Ovidius Apollinem Solem cum Diana Luna omittit componere[4]) versibus his:

„Signaque quae longo frater percenseat anno,
Ire per haec uno mense sororis equos."

Apollinis autem notitiam eisdem temporibus ita mutatam fuisse, ut non amplius pestifer deus haberetur, sed salutaris tantum ac plane benignus, Kuehnio (l. c. p. 44) concedere nequeo, quod huius rei testem afferre non possum; Horati enim in carm. saec. (v. 33 seq.) verba, quae sententiae suae ille perhibet testimonium:

[1]) Romae effossa descripta est in Bulletino dell' instituto di corr. arch. per l'anno 1863, p. 73 seq.

[2]) Comm. Cruq. ad Hor. Ep. I, 13, 17; Suet. Aug. 70; Serv. ad Verg. Ecl. IV, 10.

[3]) Rasche s. v. Apollo.

[4]) Fast. III, 109 seqq.

„Condito mitis placidusque telo,
Supplices audi pueros, Apollo!"

prorsus nihil demonstrant aeque ac Tibulli locus (II, 5, 79), quem afferre potuit. Ibi enim scriptum videmus:

„sed tu iam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus."

Quotcunque locos inspexeris, dei severitatem facilitate atque indulgentia eis temporibus vix magis quam antea[1]) obscurari invenies.

Cur ab Augusti temporibus Apollini plus tributum sit honoris.

Ex novis carminibus Sibyllinis unum fertur praedixisse, finitis aetatibus, quarum alia corruptior aliam sequeretur corruptam, decimo denique saeculo ab Apolline eam condicionem, quae principio fuisset, revocatum iri.[2]) Hermannus igitur, quoniam eo ipso tempore, quo scriberet de hoc carmine Vergilius in ecloga IV. (a. 714/10), novum saeculorum ordinem nasciturum in ore omnium fuisse arbitratur, hac ex re, cur Augusti temporibus Apollo honoris fastigium sit assecutus, explicat.[3]) Hunc enim imperatorem illam ipsam multitudinis suspensae superstitionem callide arripuisse et cum aliis rebus tum aedificando Apollinis templo id maxime egisse, ut ipsius imperio divina illius oraculi auctoritas accederet, atque ut ea, quae ad pacem stabiliendam moresque corrigendos instituisset, quasi ipsam Astraeam reducere aureaeque aetatis fundamenta iacere viderentur. Hanc Hermanni de loco Apollinis sententiam Kuehnius[4]) recte ita immutavit, ut diceret, tantum illi carmini Cumaeo non esse tribuendum, ut inde quasi fundamentum totius quaestionis depromeretur. Ceterum, cum praeter Vergilium nullus eiusdem temporis scriptor aurei saeculi venturi fecisset mentionem, carmen illud Sibyllinum haud dubie non tam

[1]) Carminibus Sibyllinis salutarem Apollinis naturam ab initio pressam esse supra (p. 29) commemoravimus.

[2]) Verg. Ecl. IV, 4—10, cf. quae Serv. ex Nigidio ibi adnotat.

[3]) l. c. p. 18 seq.

l. c. p. 30 seqq.

notum [1]) fuisse, quam putaret Hermannus, neque eum ipsum poetam optimas de libertatis bonis restituendis augendisque spes videri concepisse ex illo vaticinio, sed ex concordia, quae inter Antonium et Octavianum auctumno anni 714/10 Brundisi esset restituta. [2]) Recte quaerit, cur, si iam hoc anno aureum saeculum redire putatum sit, ludi saeculares, quibus novi saeculi initia inaugurarentur, anno demum 737/17 sint celebrati, [3]) et cur in carmine saeculari pares Dianae tribuantur laudes atque Apollini. Neque, quae Kuehnius proposuit, quin comprobem facere possum. Augustum enim Dianae Victrici victoriam a Sex. Pompeio reportatam attribuisse, Actiacam Apollini Palatino supra [4]) commemoravimus. Quaecunque autem honorem huius dei auxerunt, instituit hic imperator post illud proelium, quo, quia in exteriore parte sinus Ambracii erat commissum in conspectu Apollinis, [5]) hoc ipso deo opifero adiuvante superiorem sese discessisse arbitrabatur. [6]) Quam ob rem vetus templum, quod ibi erat, renovavit atque amplificavit, ludos Actiacos magno splendore Graecoque ritu quinquennales et illic [7]) et Romae [8]) constituit, templum Apollinis

---

[1]) Item Lasaulx errat, qui affirmat (v. Abhandlgn. der Kgl. bayr. Akad. d. Wiss. Philos.-philol. Cl. 6, III, 539) populum Romanum civitati suae duodecim saecula destinata esse credidisse inde ab antiquissimis temporibus. Nam et per se non est verisimile, iam tunc tali modo numeris esse lusum, et Censorinus (XVII, 15) nos docet augurem Varronis aetate id scrutatum esse, quod vulgo increbuisse testem non habemus. Censorini enim l. c. Varro se Vettium, Romae in augurio non ignobilem, narrat „audisse dicentem, si ita esset, ut traderent historici de Romuli urbis condendae auguriis ac XII vulturis (sic!), quoniam CXX annos incolumes praeterisset populus Romanus, ad mille et ducentos perventurum.“

[2]) cf. Hellinghaus, De Vergilii ecloga IV. (diss. Lips. a. 1875) pp. 22, 25, 30.

[3]) Ultro Augustum ludos sua sponte edidisse videbimus capite IV.

[4]) p. 11 n. 9.

[5]) cf. Heynium ad Verg. Aen. III, 275 et VIII, 704.

[6]) cf. p. 29 n. 12.

[7]) Suet. Aug. c. 18; Strabo VII, 325 C; Dio LI, 1; cf. Friedlaenderi Darstellungen aus der Sittengesch. Roms II, 304 seq.

[8]) Dio LI, 19.

Palatinum singulari confecit munificentia, ludos saeculares celebravit ipse unus ex quinque XV virorum magistris.

Sed haec omnia non tam in honorem Apollinis quam eo consilio Augustus videtur instituisse, ut victoria Actiaca et ipse cum ea dux atque imperator celebraretur. Qua re ne simul memoria bellorum civilium renovaretur, curae ei non erat. [1]) Si id studuisset, ipse suae rei nocuisset; memoria enim bellorum illorum exstincta hoc quoque nemini in mentem potuit venire, gravia illa bella ab Augusto esse composita. Quam parvi imperator ipse deum illum aestimaverit, optime ex eo concludere possumus, quod non modo verba adulatorum, qui eum Apollinis filium nominabant, libenter accipiebat, verum etiam simulacrum ipsius posuerat habitu ac statu Apollinis. Ante Augustum Pompeius Magnus ab amicis comparatus erat cum Hercule deo; [2]) tantam autem ei infuisse sui aestimationem, ut ipse cum illo se exaequaret, nusquam legimus. Is autem, qui post Augustum vestitu Apollinem imitari studebat, dico Neronem, [3]) hac re nihil volebat indicare nisi hoc, sese ut Apollinem esse citharoedum. Itaque Kuehnio eiusque auctoribus assentior, quippe qui ab Augusto pietatem erga Apollinem eiusque sororem callide simulatam esse censeant. Liceat apponere, quae Kuehnius l. c. p. 36 dicit: „num quid callidius eum agere potuisse putamus, quam ut, cum eas victorias, quibus potentissimos adversarios superasset . . . ., ad ipsos deos referret, hanc in universo populo opinionem excitaret, se ab ipsis deis iudicari atque eligi tanquam dignissimum et maxime idoneum, qui unus principatum posset obtinere?“ Ficta autem hac erga deum pietate vix etiam ei, qui imperio Augusti tenebantur, simul sunt infecti, propterea quod imperator

---

[1]) Cavedoni in Bulletino dell' instituto di corr. arch. per l'anno 1863, p. 223.

[2]) Plin. n. h. VII, 26, 95, Appian. b. civ. II, 76; cf. numum apud Cohen pl. ~~XV~~, Cornel. n. 22.

[3]) Eckhel D. N. VI, 275.

simulationem illam diligentissime dissimulabat. Sed haec quidem hactenus.

De rationibus, quae cum Apolline videntur fuisse genti Iuliae.

Nunc quaeramus, quaenam cum Apolline rationes genti Iuliae intercessisse videantur.

Penes Iulios sacra Apollinis fuisse hereditaria Odofredus Muellerus [1]) ex eo collegit, quod huius dei templa a Iuliis dedicata traduntur. [2]) Post hunc virum doctum Mommsenus [3]) eidem genti eadem sacra dedit Servi nisus verbis ad Verg. Aen. l. X, v. 316 adnotatis. Ibi enim legimus haec: „Caesarum familia sacra retinebat Apollinis, quae et ipsa publica videntur fuisse." Facere igitur non possumus, quin, quoniam enuntiato primario id quod gravissimum est pro certo is affirmavit, ea sacra fuisse existimemus genti Iuliae eique, postquam facta essent gentilicia publica, publicum sacerdotium attributum esse hereditarium. [4]) Quamquam unus nobis restiterat scrupulus, propterea quod, quae de Apolline cognovimus, ante Augustum ad hanc gentem raro pertinent. [5]) Numi, cum Venerem, cuius sacris eandem gentem famulatam esse tradit Symmachus, [6]) sexcenties repraesentent, [7])

[1]) In Classical Journal a. 1822 T. XXVI, 318.

[2]) Liv. IV, 29, 7, cf. Beckeri et Marquardti Handb. I, 425.

[3]) De colleg. et sodal. Rom. p. 11.

[4]) Ex Ovidi Metam. XV, 874, ubi scriptum videmus:

„et cum Caesarea tu, Phoebe domestice, Vesta,"

cave quidquam colligas, quia his numinibus, quippe quae una cum Augusto in monte Palatino habitarent, poeta tribuit illa cognomina. Hoc idem monendum duco de Stat. Silv. IV, 8, quo in carmine Iulio Menecrati inscripto legimus v. 19:

„et patrius lauros promittit Apollo."

Patrium Apollinem ibi eundum esse atque Ἀπόλλωνα πατρῷον patet ex v. 45 seqq.:

„Di patrii, quos auguriis . . . .
Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo . . .
Hos cum plebe sua patrii servate Penates."

[5]) Praecipuam in cultu Apollinis curam diligentiamque adhibebant Aemilii, v. Vaillant, numi fam. Rom. I, 34 et 47; C. I. L. I, 442; Liv. XL, 51.

[6]) Symm. Laud. in Valentin. sen. p. 29 (Mai).

[7]) Eckhel D. N. V, 228; Riccio l. c. 103 seqq.; Thes. Morell. in g. Iul. tab. 4, III.; Cohen, Méd. cons. pl. XX, Iul. 12; Borghesi op. I, 123.

tunc omnino tacent de Apolline. Sed est aliud, quo ad fidem Servio habendam adducamur. Veneris enim et Apollinis cultus, qui Leucade in insula, Ambraciae, Actio in promontorio arte sunt coniuncti, [1]) in varias partes inter se contingunt et cum loco atque condicione gentis Iuliae ita conveniunt, ut huic ipsi genti haec sacra ab initio tribuere haud displiceat. Venus enim, quae Romanis non erat ex numinibus publicorum sacrorum, [2]) praecipue plebis est dea neque huius propria, sed munere fungitur reconciliatricis, quae plebeiorum ius naturale et patriciorum ius certum rigidumque compensaret atque exaequaret. [3]) Huius igitur deae in tutela est, ut ita dicam, bimembris civitas Romana, [4]) in dissolutionem saepe prona. Haec eadem reconciliandi opera, Apollinis naturae maxime consentanea, nos non fugit lectisterniorum contemplantes rationem ac supplicationum, quae eis introductis fiebant Graecorum ritu. Id autem harum proprium erat, ut interessent, quibuscunque videbatur. Cum enim quibusdam sacris interesse hic vel ille a lictore prohiberetur, [5]) cum in aliis supplicationibus plebs ius sacrificandi non haberet, [6]) in his aedes sacrae omnes tota urbe aperiebantur, [7]) ac supplicatum ibant cum coniugibus liberisque non urbana tantum multitudo, sed etiam agrestium; [8]) quin etiam definite libri Sibyllini plebem eis adhibent. [9]) Item in dies lectisterniorum vinctis demebantur vincula, et „tota urbe

[1]) Hahn, Sagw. Stud. p. 454.

[2]) Cuno, Vorgeschichte Roms I, 218 seq.

[3]) Klausen l. c. p. 726.

[4]) Zöller l. c. p. 233.

[5]) Fest. p. 82.

[6]) Liv. X, 23, 3—10.

[7]) Liv. XXX, 17, 6.

[8]) Liv. XXII, 10, 8.

[9]) Macr. Sat. I, 6, 13: „Sed postea libertinorum quoque filiis praetexta concessa est ex causa tali, quam M. Laelius augur affert, qui bello Punico secundo II viros (lege X viros) dicit ex senatus consulto propter multa prodigia libros Sibyllinos adisse et inspectis his nuntiasse, in Capitolio supplicandum lectisternium-

patentibus ianuis, promisc(u)oque usu rerum omnium in propatulo posito notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos fecerunt, et cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum.“ [1]) Non est igitur mirum, quod peregrinus ille cultus, qui maxime ad Apollinem pertinebat, fuerit stabiliendae inter patricios et plebeios concordiae, [2]) quoniam dignitatis gradus omnino tollebat. Incepit autem illa exaequatio in rebus sacris: in collegio sacerdotum Apollinis i. e. X virorum sacris faciundis iam inde a legibus Liciniis totidem invenimus plebeios atque patricios, et sexaginta septem annis post (a. 454/300) lege Ogulnia pontificum [3]) augurumque collegia plebeis ita aperiuntur, ut eorum res ex legis quidem praeceptis esset superior. [4]) — Nec parvi faciendum est, quod Veiovi, cuius sacra habebat gens Iulia, [5]) asyli vim fuisse apparet, quia una cum templo huius dei inter duos lucos refugium erat hominum maleficorum. Ut autem tria haec numina erant lenientia atque expiantia, sic in tota rerum gestarum historia lenientem expiantemque sese praestat gens Iulia, [6]) ut etiam Apollinis indoles cum Iuliis mire congruat.

Quoniam de natura Apollinis ac de cultu eius in universum egimus, singillatim proprio capite de ludis disputemus, neglectis Actiacis, [7]) utpote qui minores sint habendi.

---

que ex conlata stipe faciendum, ita ut libertinae quoque, quae longa veste uterentur, in eam rem pecuniam sumministrarent.“

[1]) Liv. V, 13, 7 et 8.

[2]) cf. Langium l. c. I³, 449.

[3]) De pontificum numero cf. Langium l. c. I³, 371 et Genzium, Das patricische Rom p. 99.

[4]) Mommsen, Röm. Forschungen p. 80.

[5]) Zöller l. c. p. 234 seqq.

[6]) Zöller l. c.

[7]) De his ludis cf. Friedlaenderi Sittengesch. II, 304 seqq.

Caput IV.

De ludis.

I. De ludis Apollinaribus.

Instituti sunt hi ludi Q. Fulvio App. Claudio coss. [1]) a. 542/212 eique votivi ex carmine Marciano [2]) suadente Cornelio Rufo [3]) uno ex X viris, qui libros Sibyllinos ad id carmen explanandum inspexerant; itaque Festus et ex libris Sibyllinis et ex vaticinio Marci vatis eos factos dicere potuit. Decemviri Graeco ritu sacra fecerunt hostiis eis, quas civitas praeter duodecim milia aeris [4]) ad rem divinam dederat, Apollini bove aurato [5]) auratisque duabus capris albis; Latonae quoque fiebant sacra, nec Dianam [6]) hic enumerare dubitant viri docti, quippe quae alibi una cum Apolline Latonaque colatur, ut locus Livianus (XXV, 12, 14) lacunosus esse videatur. — Ludi, ad quos populus confert stipem [7]) Graecoque ritu coronatus i. e. laureatus [8]) accedit, cum eodem

---

[1]) Liv. XXVII, 23; Fest. p 326.

[2]) Liv. XXV, 12.

[3]) Macr. Sat. I, 17, 27 et 29.

[4]) a. 804/51 in his ludis consumpta sunt HS fere quater (v. Marquardti Staatsverw. II, 83) praeter pecunias magnas, quae ab editoribus solebant addi.

[5]) Hostiae maiores cornibus igne auratis immolabantur, cf. Plin. n h. XXXIII, 3 (39 Sill.) et Val. Flacc. I, 89. Veterrimum hunc fuisse morem testis est Homerus (γ, 384, 426 seqq.)

[6]) Gerhard, Griech. Mythol. II, 277.

[7]) Primum de hisce ludis hoc traditur, quod in omnibus fere sacris peregrinis factum videtur esse, ut Cybelae fertur stips, v. Dion. Hal. II, 19; Cic. de legg. II, 9, 22 (quo ex loco sub specie sacri quasi quoddam tributum illicitum exactum esse intellegimus, cf. Ephem. epigr. III, 106 4), Ovidi fast. IV, 350; Bellonae stipem cogunt Bellonarii, v. Tiesler l. c. p. 33. Apollini stipem videntur accepisse XV viri, v. Marquardti Handb. VI, 140.

[8]) Fest. p. 23. — Ludi quoque Romani a coronatis, non autem a laureatis spectantur, v. Liv. X, 37, 3 Weissenb. Ad omnia autem sacra laureae carpebantur ex Laureto Apollinari (v. Serv. ad Verg. Aen. VIII, 276), quod „multo post Romam conditam

tempore ceterorum ludorum curam haberent aediles, [1]) ab initio [2]) a praetore urbano, cui libera republica praeter hos ludos non sunt edendi nisi piscatorii, [3]) fiunt in circo maximo. Nec deerat supplicatio, quam matronae haud dubie laureas manibus tenentes [4]) suscipiebant, ac sollemne apertis ianuis in propatulis epulando celebrabatur, ut fieri solebat in lectisterniis. Inter festivitatem ipsam deus, quam esset opifer, ostendisse dicitur; civibus enim ludos spectantibus adventu hostium nuntiato longius ab urbe non erat progrediendum, cum vomicam illam gentium sagittarum nube viderent ultro expelli. A victoribus iam ad ludos redeuntibus mimus [5]) senex etiam tum ad tibicinem saltans invenitur. [6]) Scimus igitur in Apollinis honorem ab initio ludos esse

---

virere coepisse“ traditur (Macr. Sat. III, 12). Circumlatae aquae, quae sine dubio laureis dispergebantur (cf. Ovidi fast. IV, 728), his ludis expiabant templa domosque (v. Tertulliani bapt. c. 5).

[1]) Marquardt l. c. VI, 466.

[2]) Primus edidit ludos P. Cornelius Sulla praetor urbanus, v. Liv. XXV, 12; XXVII, 23.

[3]) Fest. p. 238. Ludi victoriae Sullanae a praetore urbano nuper abiudicati praetori peregrino sunt vindicati, cf. Mommseni Röm. Münzwesen p. 625 et Langium l. c. III, 162.

[4]) Liv. XXVII, 11, 37; XXXIV, 55; XXXVI, 37; XL, 37. Etiam in libris Sibyllinis inspiciendis usurpatur laurus, v. Vopisc. Aurelian. 19.

[5]) Hic mimus unus ex sodalitate artificum scenicorum videtur fuisse, quos Festus l. c. appellat parasitos Apollinis, v. Marquardtium VI, 517. — Quod autem in cultu gravis severique Apollinis invenimus mimum, non est cur miremur, quoniam apud Graecos quoque hyporchema hunc deum exhilarabat (Athen. XIV, 630 e; Poll. IV, 14, 104, cf. Westphali ad Aeschyl. prolegg. p. 44), et carmen Sibyllinum plane commendaverat hilaritatem, cf. Constant, Du Polythéisme Romain I, 44.

[6]) Fest. p. 326; Macr. Sat. I, 17, 25. Quorum auctorum hic paullo ante l. c. Apollinem Libystinum, qui apud Pachynum Siciliae promontorium coleretur, ab incolis invocatum similiter peste immissa paene cunctos hostes subita morte narrat intercepisse.

datos et circenses et scenicos. [1]) — Sequentem ad annum (543/211) Livius [2]) C. Calpurnio [3]) Pisone praetore referente, ut eo anno propter prodigia fierent ludi Apollinares, senatum decrevisse narrat, ut in perpetuum voverentur; sunt igitur, cum nullo ante senatus consilio essent firmati, hoc ab anno annui votivi et fiunt, ut antea, die incerto. Duobus qui sequuntur annis 544/210 et 545/209 nihil mutatur, proximo autem anno (546/208), cum pestilentia gravis in Urbem agrosque incidisset, ut ei ludi in perpetuum voverentur in statum diem, lex est lata [4]) ad populum a P. Licinio Varo praetore urbano. Iam pergit Livius [5]) hunc ipsum praetorem ita vovisse et fecisse a. d. III „Non.“ Quinctiles, eumque diem deinde sollemnem esse servatum.

At hunc locum Livianum, etsi in libris manuscriptis nulla est lectionis varietas, in suspicionem vocavit Merkelius, [6]) quod, cum secundum calendaria imperatoribus Tiberio et Claudio composita ludi fierent inde a pridie Nonas Iulias usque ad ante diem III Idus easdem, dies adiecti priscum diem sollemnem non antecederent, ut fieri esset solitum, sed sequerentur. Quo factum est, ut vir ille doctus eo loco corrigendum putaret a. d. III „Id.“ Quintiles, praesertim cum alioquin hi ludi in poplifugium — quod celebrabatur a. d. III Non. Quint., cf. Varron. L. L. VI, 18 —, alius igitur dei incidissent

---

[1]) Si Donatus ad Terenti Andriam (IV, 3, 11) Apollini comoediam, tragoediam Libero patri dicatam fuisse adnotat, videtur errare (Hahn, scen. quaest. Plaut. p. 14).

[2]) l. XXVI, c. 23.

[3]) Huius relationis fit mentio in numis Calpurniae gentis (Eckhel D. N. V, 158; plura v. apud Riccio, Le monete delle antiche famiglie di Roma p. 41 seq. et in Mommseni Röm. Münzwesen pp. 580 et 624). Huic genti cognomen erat Apollinaris, v. Spanhemi de usu et praest. numism. ant. diss. vol. II, 132.

[4]) Liv. XXVII, 23.

[5]) Liv. l. c.

[6]) Prolegg. ad Ovidi fast. p. XXVIII.

ferias, id quod ipsa eorum lex vetuisset.[1]) Merkelium secuti sunt Friedlaenderus,[2]) Mommsenus,[3]) A. W. Zumptius,[4]) Christius,[5]) Marquardtius.[6]) Quorum virorum sententiam non comprobat Huschkius, in cuius de ludis opinionem iniuria tenebris obrutam nemo adhuc inquisivit. Dicit enim in studiis Romanis (I, 152) haec: „Merkels Argument, dass das Apollofest nicht auf III Non. Iul., das Fest der Poplifugien, habe gesetzt werden können, schlägt nicht, weil dies ein Fest des Juppiter war, und die Unverträglichkeit des Apollofestes mit dem eines andern Gottes ihrem Sinne nach sich nur auf blos gleichstehende oder geringere Götter bezog.“ Quae etsi ex Dionis[7]) verbis sumi possunt, tamen ad refutandam[8]) Merkeli sententiam non sufficiunt, ex qua ludorum Apollinarium dies sollemnis fuit extremus. Aliunde igitur Huschkius fecit impetum productis subsidiis e Ciceronis ad Atticum epistol. l. XVI, 4, ubi legimus: „sese scripturum aiebat (scil. Brutus), ut venationem eam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent in III Idus Quinctiles.“ Quod autem hoc loco anni 710/44 a. d. III Id. Quint. appellatur postridie ludos

[1]) Cassius Dio XLVII, 18 ad a. 712/42 dicit haec: „καὶ συνέβαινε γὰρ ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ τὰ Ἀπολλώνια γίγνεσθαι, ἐψηφίσαντο τῇ προτεραίᾳ τὰ γενέσια (scil. Caesaris dictatoris) ἀγάλλεσθαι, ὡς καὶ λογίου τινὸς Σιβυλλείου ἀπαγορεύοντος, μηδενὶ θεῶν τότε πλὴν τῷ Ἀπόλλωνι ἑορτάζεσθαι.

[2]) In Beckeri et Marquardti Handb. IV, 493.

[3]) C. I. L. I, 396.

[4]) De dictatoris Caesaris die et anno natali comm. p. 6 seqq.

[5]) Sitzungsber. d. philos.-philol. u. hist. Cl. d. k. b. Akad. zu München 1876, p. 194, ubi sese etiam annalium philol. class. volumine CXIII. hac de re disputasse affirmat. Loci autem citati p. 160 huius ipsius rei ne mentionem quidem facit.

[6]) Handb. VI, 370; in priore editione (IV, 306 et 331) Livio erat assensus.

[7]) l. XLVII, c. 18.

[8]) Peccavit Huschkius, quod in refellendo falsam ingressus est viam; omisso enim eo ordine, quo Merkelius sententiam suam protulit, rebusque minoris momenti nimium aestimatis summam rei serius est aggressus.

Apollinares, inde Huschkius conclusit hoc: ante a. 710/44 ludos non esse factos a. d. III Id. Quint., cum autem Dio[1]) Caesaris dictatoris diem natalem — erat a. d. III Id. Quint. — inde ab anno 714/40 proximo die (a. d. IV Id. easdem) celebratum traderet, ludos a Iuli mensis die VI usque ad XIII mox editos esse effici. Sic igitur vir ille doctissimus et ingeni acumine et Ciceronis loco commemorato adiutus res sibi effinxit, ut Brutus quidem a. 710/44 iratus, quod suo absentis nomine per C. Antonium[2]) collegam ludi in a. d. III Non. Iulias (itaque ad a. d. IV Id. Quint. pertinentes) indicti essent,[3]) in a. d. III Id. Quintiles indiceret venationem in circo faciendam, Bruti autem adversarii huius liberalitatis superandae causa efficerent, ut semper a. d. III Id. Iulias circenses ederentur, cum prior dies sollemnis (a. d. III Non. easdem) esset abrogatus.

In qua explicatione quamvis ingeniosa maxime hac de causa offendimus, quod, cum in patriis ipsius religionis moribus atque institutis tanquam adhaerere solerent soleantque cum totius orbis gentes tum Romani, magnam ritus commutationem factam esse statueremus. Accedunt alii quoque scrupuli. In proscriptione enim ludorum a Bruto edendorum mensem Quintilem a nomine Caesaris gentili Iulium esse appellatum, Nonis demum Quintilibus vidit Cicero[4]) ad Brutum proficiscens in Nesidem. Quodsi Brutum, quomodo proscripti essent ludi, certiorem non esse factum verisimile est nisi per ipsum Ciceronem, qui fieri potuit, ut venatio intra tam paucos dies praepararetur? Neque esse praeparatam[5]) eam interiecto tam brevi tempore ex loco Ciceroniano apposito elucere arbitror; est enim apud eum: „venationem eam, quae postridie ludos Apollinares futura est.“ Secundum Huschkium,

[1]) l. c.

[2]) Appian. III, 23.

[3]) Certe hoc non factum est a Bruti amicis errore aliquo, ut arbitratur Zumptius (l. c. p. 7), sed consilio ab Antonianis.

[4]) Ad Att. XVI, 1, 1.

[5]) De praeparatione ludorum cf. Plut. Brut. c. 21.

quippe qui diem sollemnem a. d. III Non. Quint. fuisse affirmet, hoc ipso die fuerant ludi circenses, eodem autem die venationem, quae bis proscriberetur, primum esse factam non licet conici, nec magis est probabile, ludorum editorem, quamquam Norisius[1]) hoc asseveravit, diem insuper adiecisse sua sponte, ut de Bruto taceamus, qui, si id facturus fuisset, sine dubio ab Antonianis esset impeditus.[2]) Quibus de causis Ciceronem illo loco vocabulum „ludos" non ita intellexisse efficitur, ut et scenicos et circenses eo comprehenderet, sed solos scenicos significaret. Ludorum enim vocem saepe legimus pro ludis scenicis usurpatam primum, ubi vox explicans, quae similitudine aliqua ad artem spectat scenicam, haud procul abest, ut Cic. de harusp. resp. 12, 25: „si examen apium ludis in scenam venisset," Phil. I, 15, 36: „Quid? Apollinarium ludorum plausus . . . nisi forte Attio tum plaudi . . . . putabatis," deinde, ubi ex contrario, quod appositum est, qui ludi intellegendi sint, apparet, velut Cic. pro Sest. 50, 106: „ludorum gladiatorumque consessu," cf. ibidem 54, 115: „theatrales gladiatoriique consessus," quibus locis gladiatorios ludos vice circensium arbitror fungi eodem modo atque in Cic. ad Atticum epistolis II, 19, 3: „Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est. Nam gladiatoribus qua dominus qua advocati sibiles conscissi: ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium petulanter invectus est." Qui locus compluribus de causis manifestissimis omnium est aptissimus ad demonstrandum fieri potuisse, ut Cicero, cum diceret (ad Att. XVI, 4, 1) „venationem eam, quae postridie ludos Apollinares futura est," Apollinarium significaret solos ludos scenicos. Hos enim distinguit a venatione, circensium parte prima, non, ut opinatur Zumptius (l. c. p. 8), comprehendit et scenicos et circenses.

1) Cenotaphia Pisana p. 137 (diss. II).
2) Zumpt. l. c. p. 8.

Itaque, quin diem ludorum sollemnem ab initio fuisse a. d. III Id. Quint. arbitrer, facere non possum. —

Cum quaestione, utrum a. d. III Non. Quint. an a. d. III Id. easdem ludorum Apollinarium fuerit dies sollemnis, arte altera coniungenda est haec quaestio, compluresne dies hi ludi ab a. 546/208, quo facti sunt annui stativi, habuerint necne. Hac de re etiam magis tanquam guttatim manant fontes; ex Livi autem verbis, ludos eo anno in perpetuum votos esse in **statam diem**,[1]) cave quidquam colligas. Huschkius nullis argumentis nisus ab anno commemorato non solum complures, verum etiam statim octo ludorum fuisse dies coniecit,[2]) cum omnes ceteri viri docti unum tenere videantur etiam in proximos annos. Dolemus, quod hac de re vix certi quidquam licet statui. Eorum, qui non uno tantum die statim ab a. 546/208 ludos putent esse editos, ratio eo videtur firmari, quod ab initio erant et circenses et scenici, quod iam a. 575/179 „theatrum et proscenium ad Apollinis"[3]) sine dubio praecipue ludis Apollinaribus exstructa sunt, quod eodem tempore, quo in perpetuum sunt voti in statum diem, dierum festorum numerus potuit amplificari, quod denique tunc per complures fiebant dies alii ludi magni,[4]) in quibus ludi plebeii paullo ante Apollinares instituti; num autem ab initio octo dies ludorum fuerint, in medio relinquamus, quoniam quos habemus de eis loci hoc neque comprobant neque improbant. De altero loco (Liv. XXXVII, 4), quippe qui nihil nos doceat nisi celebratos eos esse a. 564/190 a. d. V Id. Quint. (unde hoc certe colligendum est, per tres minimum dies tunc factos esse), nemo, opinor, nobiscum dissentit, verum de altero (Cic. ad Att. XVI, 1, 1) in diversum tendunt sententiae. Cicero l. c. dicit haec: „Nonis Quinctilibus veni in Puteolanum.

1) Liv. XXVII, 23.
2) l. c. I, 81.
3) Liv. XL, 51, cf. Ritscheli Parerg. p. 218.
4) Friedlaender apud Marquardtium VI, 477 seqq.

Postridie iens ad Brutum in Nesidem haec scripsi. Sed eo die, quo veneram cenanti Eros tuas litteras. Itane? Nonis Iuliis? Di hercule istis! Sed stomachari totum diem licet. Quidquamne turpius quam Bruto Iuliis?" Quibus verbis confisus Halmius [1]) ludos a. 710/44 incepisse Nonis Quintilibus breviter adnotavit. Quadriennio post eandem sententiam argumentis confirmare studuit Zumptius (l. c. p. 7). „Quid igitur, inquit, fuisse putamus in tabula illa, in qua ludi a Bruti amicis (sic!) proscriberentur? Nimirum ipsum quod Cicero habet Nonis Iuliis. Nam cum hic ablativus extra constructionem reliquam positus sit ac per se constet, eum ex tabula, quae Romae proposita erat, sumptum esse necesse est. In qua tabula si vel III Nonas Iul. vel pridie Non. Iul. fuisset, Cicero id non minus immutatum recepisset. Neque ante eum diem ludos Apollinares factos esse audimus, qui si facti essent, in tanta epistolarum Ciceronis frequentia nobis traderetur." Quid? De rebus, quae nihil ad eum attineant, certiores nos facere, num est epistolographi in scribendo impigri? Atqui Ciceronis non intererat, num in hunc vel in illum diem, sed qua ratione ludi essent proscripti; offendit, quod Quintilis mensis in proscriptione erat appellatus Iulius, ac mihi quidem persuasum est, Ciceronem in brevitate, quam postulat epistolarum sermo, etiam vocem Nonarum omnino non ascripturum fuisse, ut omisit eam paullo post, si per loquendi consuetudinem licuisset. Ex quo fit, ut Zumpti argumentatio non sit probabilis. Accedunt alia. Etsi enim in illa tabula, in qua voces Non. Iuliis a Cicerone lectas putat esse Zumptius, hanc ipsam temporum rationem fuisse assentiri non dubitarem, tamen indidem, ut ante eum diem ludi facti non sint, consequi neutiquam concederem. Nam si nulla alia temporum descriptio nisi Non. Iuliis ibi legebatur, singulis ludorum diebus tabula, qualem vidit Cicero, erat proponenda diversam praebens inscriptionem, ut, quoniam tum quoque dierum

[1]) In edit. Ciceron oratt. sell. vol. VI praef. (1870).

Nonas subsequentium alius inscriptus esset titulus, etiam antecedentibus diebus ludos praescriptos esse alio indice liceret accipere. Sed utut est, ante Nonas Iulias eo anno ludos non esse factos hoc quidem loco demonstrari non potest.

At est aliud, unde omnino ante hoc temporis spatium eos editos esse Zumptius negandum putat. In calendariis enim Amiternino et Antiati pridie Non. Iuliis ludos „commissos" esse legimus, quod Zumptius ita est interpretatus, ut eo die praeparari diceret ludos i. e. locum ipsum adornari et reliqua, quae ad apparatum pertinerent, instrui. Quam interpretationem duabus de causis reicio, primum quod committendi verbum licentius explicatur — ludos enim committere [1]) nihil aliud est nisi ludere vel ludos facere, ut pugnam committere idem significat atque pugnare —, deinde quia ludorum apparandorum tempus in ludis magnis [2]) — inter quos numerantur ludi Apollinares — unius diei spatium sine dubio excedens a calendariorum scriptoribus adiectum esse ludis ipsis ne minimam quidem veritatis habet speciem. Confirmatur autem haec mea suspicio eis, quae de apparatis ludis saecularibus tradit Zosimus l. II, c. 5: „κατὰ δὲ τὴν ὥραν τοῦ θέρους, πρὸ ἡμερῶν ὀλίγων τοῦ τὴν θεωρίαν ἀχθῆναι, ἐν τῷ Καπετωλίῳ καὶ ἐν τῷ νεῷ τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον, οἱ δεκαπένιε ἄνδρες ἐπτ βήματος καθήμενοι τῷ δήμῳ διανέμουσι τὰ καθάρσια . . ."

Quoniam de ludorum Apollinarium gravissimis quaestionibus disputavimus, nunc transeamus ad ludos saeculares.

II. De ludis saecularibus.

Qui rei publicae temporibus celebrabantur ludi saeculares, hoc loco minus nobis sunt respiciendi, quando-

[1]) Praeter alios locos cf. Liv. II, 37,2 et 38,3.

[2]) Committendi verbum in eisdem calendariis ascriptum est etiam ludorum Romanorum diei primo, cf. C. I. L. I, 397 et 401.

quidem in eis Apollini honores aut omnino non tribuebantur aut certe inferiores. Primus huic deo in illis ludis locum dedit praecipuum Augustus, ut maxime de ludis saecularibus ab hoc imperatore celebratis agere ad rem pertinere videatur.

De ludorum origine et de temporum intervallis, quibus solebant celebrari, iam saepe multumque inter viros doctissimos est litigatum. Taffinus in Graevi thes. ant. T. VIII, p. 568 seqq. quinque primos ludos attribuit annis his: primum anno 245/509, alterum a. 305/449, tertium a. 505/249, quartum a. 605/149, quintum a. 737/17. Multo post Taffinum eos anno demum 505/249 institutos tumque primum celebratos esse tam dilucide ostendit Rothius,[1]) ut viri docti eum sequi non dubitarent.[2]) Utrum celebrati sint a. 605/149 an a. 608/146, decernere non audeo. Rothius tenet annum priorem, Mommsenus[3]) posteriorem, plerique, in quibus est Orellius,[4]) ambigunt. Annus igitur 705/49 vel 708/46 tempus fuit legitimum, quo tertium erant celebrandi, sed per bellorum civilium turbas sunt intermissi, ut ante annum 805/52 rursum non essent edendi. Nihilominus Augustus iam a. 737/17 eos celebravit.[5]) Quicunque autem quaesiverunt, cur ille eos ludos anticiparet nec legitimo tempori reservaret,[6]) causam huius caerimoniae fuisse *πολιτικωτάτην*,[7]) inter sese consentiunt. Et pro-

---

[1]) Musei Rhen. vol. VIII, p. 364 seqq.

[2]) Bernaysius ibidem vol. XII, p. 436; Mommsenus in Röm. Chronologie (p. 180 ed. II); Luebbertus commentationum pontificalium p. 160; Marquardtius l. c. VI, 372.

[3]) l. c. p. 176.

[4]) cf. eius ad Hor. carm. saec. adnott.

[5]) Plin. n. h. VII, 49; Tac. ann. XI, 11, cf. Eckheli D. N. V, 299; VI, 102.

[6]) Suet. Claud. c. 21.

[7]) Orelli l. c., Havestadt, Ueber die Erklärungsweise der Horazischen Oden (in „Ztschr. f. d. Gymnasialw." 1858, p. 892), Boissier l. c. I, 111.

fecto rem ita sese habere duae res demonstrant. Primum enim edicto eorum ludorum saecularium anno, quos celebravit Augustus, doli aliquid subest. Nam cum proximos a. 605/149 vel a. 608/146 editos fuisse supra viderimus, XV viri in commentariis tenebant annum 628/126, quo fortasse piaculum et lustrum aliquod sollemne populi Romani erat factum.[1]) Invento igitur, ut ita dicam, exordio, ut ratio appropinquaret anno 737/17, quo ludi denuo fierent, oracula Sibyllina et XV viros, quorum magister erat Augustus, evulgare necesse fuit, ab initio inter singulos ludos spatium iacuisse centum et decem annorum. Quo factum est, ut ludi priores in commentariis XV virorum annis ascriberentur[2]) 298/456, 408/346, 518/236. Cur autem ludi non a. 738/16, qui secundum illam XV virorum computationem fuit legitimus, ab Augusto celebrarentur, Rothium vix probabiliter ita explanasse cum Mommseno arbitror, ut annus confusionis, tanquam duos annos repraesentaret, computaretur.[3]) Neque magis assentior Hermanno[4]) et Marquardtio,[5]) qui carmen illud Sibyllinum,[6]) quod auream aetatem praedixit, putant effecisse, ut anno ante fierent. Nam si Vergilius in ecloga IV. huius *παλιγγενεσίας* futurae iam a. 714/40 facit mentionem, cur ipso anno 737/17 sunt celebrati? Proxime ad verum videtur accedere Mommseni sententia, per se quidem parvi interfuisse, utrum exeuntis saeculi anno extremo an ineuntis primo ederentur, Augusti autem, ut quam primum spectarentur, interfuisse. Habemus igitur, cur hunc imperatorem et

---

[1]) Orelli l. c.

[2]) Censorin. XVII, 10.

[3]) Ante Rothium, cuius sententiam prius quidem sequebatur, nuperrime autem neque comprobat neque improbat Marquardtius (cf. Beckeri et Marquardti Handb. IV, 333 cum recentiore edit. VI, 373), On. Panvinius idem coniecerat in Graevi thes. IX, 1067.

[4]) l. c. p. 18 seqq.

[5]) l. c. VI, 372 seq.

[6]) v. supra p. 35.

versus de ludis edendis Sibyllinos, quos apud Zosimum [1]) et Phlegontem Trallianum[2]) legimus componendos[3]) et per XV viros falsa provulganda curavisse credamus. Diversos eos videri esse a carmine, quod Vergilius (ecl. IV, 9) commemorat, recte ostendit Marquardtius,[4]) quia hoc auream aetatem futuram praedicit, illi eam silentio praetereunt. Utrum vero eidem versus facti sint ante Augustum necne, in medio relinquit Idelerus;[5]) paullo confidentius opinionem suam aperuit Klausenus his verbis: „Aus der Auffassung der röm. Herrschaft geht hervor, dass die Verse vielleicht nach den Spielen von 518 u. c. gedichtet sind, wenigstens, dass der Verfasser sich in jene Zeit versetzte.“[6]) Dicit enim vir ille doctus versus extremos:

„*Ταῦτά σοι ἐν φρεσὶ σῇσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι,*
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα Λατίνη
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.“

Sed quod Latini hoc modo Italis opponuntur, cum prisca illa inter eos discordia iam saeculo ante componi esset coepta, neutiquam quadrat ad sollemne, quod antecesserat; ne autem in antiquiora tempora regrediamur, hac re impedimur, quod illi versus de Ditis patris cultu ac Proserpinae tacent, quibus prisci ludi Terentini praecipue celebrabantur. Quibus de causis conicere audeo versus illos temporibus ipsorum ludorum ab Augusto editorum esse compositos, studium autem imitandae rerum antiquitatis in eis male processisse. —

[1]) Hist. II, 6.
[2]) De longaevis c. 4.
[3]) Hoc cum per se tum propterea difficultates non praebebat, quod litterae illorum librorum Sibyllinorum tempore ita evanuerant, ut anno ante ludos celebrandos (a. 736/18) sacerdotes sua manu carmina transscribere a Caesare iuberentur (Dio LIV, 17).
[4]) l. c. VI, 373 n. 3.
[5]) Dicit enim in Handbuch d. Chronol. II, 86 haec: „Die Verse haben ohne Zweifel ebenso zu Augusts Zeit gelautet, ob aber auch früher, ist nicht so entschieden.“
[6]) Klausen l. c. I, 266.

Deinde Caesari non hoc curae fuisse, ut dei neglecti placarentur, hac ex re sequitur, quod numinibus, quae in prioribus ludis erant celebrata, in ludis ab eo ipso editis magnam sine dubio honorum partem dempsit introductis in praecipuum locum duobus aliis numinibus, quae ante eum primas partes certe non agebant, Apolline atque Diana.[1]) Priores enim ludi, qui apud Festum s. v. terentum (p. 350) „ludi saeculares Ditis patris,“ apud Censorinum (XVII, 8) „ludi Terentini Diti patri et Proserpinae facti“ appellantur, instituti averruncandae causa deorum irae vel prodigiis nuntiatae vel immissis calamitatibus explicatae[2]) his numinibus inferis (Diti ac Proserpinae) aut omnino aut praecipue erant facti, cum in ludis a Caesare datis Zosimus ultimum tantum locum eisdem tribuat.[3]) Quin etiam prorsus neglectos esse novis in ludis priscos illos Terentinorum praesides Kuehnio[4]) assentiri equidem non dubito, primum quod versus Sibyllini, qui, quomodo singuli dei sint venerandi, praescribant, de Dite et Proserpina tacent, deinde quod — hoc fugit Kuehnium — ne Horatius quidem in carmine saeculari eos commemorat. At enim hic poeta carmen fecit, quo dei superi[5]) et in primis Apollo atque Diana in templo dei Palatino,[6]) ut in posterum imperio Romano benevoli essent, precibus adirentur. Quid? si et a Parcis et a Tellure, denique ab omnibus numinibus petit salutem, quae ut precibus invocarentur, versus

[1]) Marquardtius (l. c. VI, 376 n. 1) iam inde ab anno 505/249 ludorum saecularium honoris participes fuisse Apollinem Dianamque coniecit, propterea quod Augustinus (de civit. dei III, 18) etiam tunc inter ludos saeculares et Terentinos facit discrimen; certi vero nihil licet statui.
[2]) cf. Mitscherlichi ad Hor. T. II, 643 not.
[3]) Zosim. II, 5: „*θύουσι δὲ Διὶ καὶ Ἥρᾳ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ Λητοῖ καὶ Ἀρτέμιδι καὶ προσέτι γε Μοίραις καὶ Εἰλειθυίαις καὶ Δήμητρι καὶ Ἅιδῃ καὶ Περσεφόνῃ.*“
[4]) l. c. p. 38 seq.
[5]) cf. Hor. carm. saec. v. 49 seqq.:
„Quaeque vos bobus veneratur albis“ etc.
[6]) Steiner, commentatio de Hor. carm. saec. p. 3.

Sibyllini imperaverant? Si igitur res ita sese habeat, Boissierius errare mihi videtur, cum haec dicit de Horati carmine saeculari: „De lui—même il (Hor. in c. s.) se tourne volontiers vers la poésie grecque qui le charme. Il l'imite, il s'inspire d'elle quand il nous montre la terre qui tresse pour Cérès une coronne d'épis, et les moissons qui croissent „en se nourrissant des rosées salutaires et de vents envoyés par Jupiter" (c. s. 29); mais il semble qu'il a peur de trop se livrer à ces images riantes; il souhaite avant tout de paraître grave, il veut qu'on le trouve romain, et malheureusement il laisse trop voir la peine qu'il se donne pour l'être.[1] — Coactum potius puto Horatium religionis Graecae imagines nobis producere. Quid est enim verisimilius quam imperatum ei esse ab Augusto, ut versibus illis Sibyllinis, qui Graeca numina maiore studio commendabant et secundum quos sollemne fieret, pro fundamento positis in honorem dearum deorumque novis ludis celebrandorum hymnum faceret? Quodsi non solum versus Sibyllini Ditem patrem ac Proserpinam omittunt, verum etiam Horatius omnino eos neglegit, me applicare nequeo Luebberto, qui, quoniam libros tantum Sibyllinos respicit, his etiam silentibus fieri potuisse arbitratur,[2] ut illis numinibus tum quoque temporis immolaretur. Ditem patrem igitur et Proserpinam ludis saecularibus a Caesare editis removendos esse censeo, ad quam opinionem etiam Boissierius inclinat, cum dicit haec: „Auguste imagina de faire ces fêtes graves et tristes une solemnité triomphante et patriotique. Il lui fallut tout à fait les dénaturer."[3] Talis autem ritus, quo in sacris Ditis

[1] Boissier l. c. I, 101.

[2] l. c. p. 116.

[3] l. c. I, 97, cf. 98: „le caractère d'expiation . . . d'abord s'efface, p. 99: „Auguste . . . substitue le dieu du iour à ceux de la nuit; Apollon et Diane remplacent Dis Pater et Proserpine."

patris et Proserpinae etiam sub imperatoribus homines aut vivi sepeliebantur aut in undas deiciebantur,[1] a diebus illis festis omnino abhorret. —

Hoc autem ipso loco monere ne praetermittamus, ut non tam error, quam dicendi modus indiligens vitetur. Sunt enim, qui inter numina ludis saecularibus culta et Tellurem et Cererem numerent,[2] quippe qui Sibyllae, quae dicitur, verba et Horati Zosimique haud satis contulerint. Sibylla enim immolari iubet *Γαίῃ*, Horatius invocat Tellurem, ut Cererem corona donet spicea, *Δήμητρι* sacrificatum esse legimus apud Zosimum; pro Tellure igitur Zosimus substituit Cererem, quoniam harum dearum cultus apud Romanos prorsus erat confusus;[3] nobis autem tunc quidem temporis discrimen facere non licet, ut dearum altera sit tollenda.

Supersunt igitur ex numinibus inferis Parcae, Ilithyiae,[4] Tellus, quibus nocte fiebant sacra. Quaeritur iam, quibus noctibus singulae deae sint cultae.

Totum sollemne trium dierum totidemque noctium spatio continebatur. Quibus deis superis sacra sint facta singulis diebus, Zosimus (II, 5) memoriae tradit; quomodo autem deae illae inferae singulis noctibus sint assignatae, hac de re dilucidis verbis nullus auctor certiores nos facit. Omnes eadem et quidem prima nocte celebratas esse praeter ceteros putat Klausenus,[5] cui assentiri

[1] Suet. Aug. 57; Plin. n. h. 28, 12, cf. Marquardtium VI, 351.

[2] Ut Klausenus l. c. I, 264.

[3] v. Beckeri et Marquardti Handb. IV, 311, cf. ed. rec. VI, 347.

[4] Horatius in quarta carm. saec. stropha unam tantum Ilithyiam invocat, quam utrum Parcam an Lucinam an Carmentam, denique num omnino veterum Indigitamentorum deam intellegat, non satis constat (poeta ipse dubius, quomodo latine ea sit appellanda, ne religionem violet numenque laedat, in uno nomine non acquiescit), hoc autem certum est, errare Marquardtium, quippe qui Horatium Parcas v. 25 seqq. invocatas easdem atque Ilithyias intellexisse arbitretur (l. c. VI, 377). Ita rem sese non habere cum verborum coniunctio (vosque, veraces cecin. P.), tum hoc demonstrat, quod poeta varia a variis petit deabus.

[5] l. c. I, 264.

nequeo, propterea quod non haberemus numina, quibus altera ac tertia nocte immolari potuit; nam etiam Ditem ac Proserpinam, quos ille tenet, primae ascripsit. Eidem nocti Parcarum tantum sacra tribuere videtur Marquardtius;[1]) quae autem causa fuerit, cur de ceteris dubitaret decernere, non video. Quoniam enim viri doctissimi secundum Zosimum, qui sine dubio sacrorum, de quibus agitur, descriptionem ex versibus hausit Sibyllinis, numina supera singulis diebus assignaverunt, videor mihi propter eosdem Sibyllae versus deas illas inferas singulis noctibus distribuere posse, ut sacris precibusque celebrarentur

die	I. Iuppiter atque Iuno	nocte	I. Parcae
	II. Iuno		II. Ilithyiae
	III. Apollo cum Diana		III. Tellus.

Quem ordinem cum natura deorum dearumque optime congruere vix opus est monere.

Apollini Dianaeque ex his tribus diebus festis non solum tertius erat destinatus, verum etiam primo in eorundem honorem ludos scenicos in theatro factos esse testificatur Zosimus.[2]) Quod alter dies eisdem numinibus non vindicatur ab auctoribus, nihil interest, quoniam medium quodque sollemne sine dubio minoris momenti solebat esse; primum autem diem maiore cum apparatu celebrari per se patet, atque extremum festivitatis splendore dignissimum esse habitum praeter ceteros ex ludis intellegimus Apollinaribus. Hic iam nullius in honorem sollemniter celebratus videtur esse nisi Apollinis atque Dianae; tunc enim hisce numinibus boves nivei immolabantur, et in aede Apollinis Palatina a ter novem [3]) pueris illustribus totidemque virginibus carmen

[1]) l. c. VI, 377.

[2]) l. II, c. 5: „*τῇ δὲ μετὰ ταύτην* (scil. *τὴν πρώτην τῶν θεωριῶν νύκτα*) *ἡμέρᾳ .... τὰς θεωρίας ἐπιτελοῦσιν Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι.*“ In ludis ab Augusto XV viro editis in scenam escendisse pantomimum docet Plin. n. h. VII, 48, 159.

[3]) Hic canentium numerus in supplicationibus est usitatissimus, v. Petri Taffini Chronol. nova ludorum saec. (in Graevi thes. ant. Rom. T. VIII, p. 559 seqq.) et Kuehni diss. p. 9.

canebatur saeculare.[1]) De quo, quamvis ad disserendum iam multos excitaverit, pauca liceat addere.

Utrum a pueris virginibusque carmen amoebaeum cantatum sit necne, iam diu est res controversa. Kuehnius[2]) nuperrime eos est secutus, qui id negant. Sed valde miror, quod una cum ea quaestione iterum atque iterum proposita non aliud quoque est interrogatum. Apud Zosimum enim l. c. scriptum videmus: „*Ἡμέρᾳ δὲ τρίτῃ .... τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων .... ὕμνους ᾄδουσι τῇ τε Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων φωνῇ καὶ παιᾶνας, δι' ὧν αἱ ὑπὸ Ῥωμαίοις σώζονται πόλεις.*“ E quibus verbis, etsi etiam carminis saecularis textum Graecum cantatum esse sumpserunt viri doctissimi,[3]) tamen, quomodo cantus sit, quaerere neglexerunt. Nonne est verisimile pueros cecinisse textum Graecum, virgines Latinum et quidem ita, ut deinceps singulae strophae Latinae sequerentur singulas Graecas?

Sed mota iam hac quaestione finem faciamus huic de Apolline Romano dissertatiunculae, quem quamvis magno cursu ab infimo ad summum apud Romanos honoris gradum deduximus.

[1]) Num hic mos, ut in Graeco cultu pueri virginesque canant, ad id pertineat, quod inde a Punico bello secundo iuvenes utriusque generis et canere et saltare discunt (Macr. Sat. I, 14, 4, cf. Marquardt, Privataltertb. 1, 120), in medio relinquimus; hoc certe non est dubium, quin Graecus deorum cultus etiam arte musica Romanorum animos aliquantulum confirmaverit.

[2]) l. c. pp. 1—9.

[3]) In eis est Marquardtius l. c. VI, 378.

Vita.

Ernestus Ricardus Hecker, Gruenhainanus, natus sum pridie Id. Ian. anni h. s. LIII patre Eduardo, matre Augusta e gente Fredericiana oriunda, quam praematura morte mihi, cum XVIII annos natus essem, abreptam valde doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum rudimentis et in publico et in privato patriae ludo imbutus a. h. s. LXVII Lipsiam in scholam Nicolaitanam deductus sum, quae Lipsi tum florebat auspiciis. Maturitatis testimonium a. h. s. LXXIV ibidem adeptus in numerum civium academicorum Lipsiensium receptus sum, sed rebus militaribus impeditus anno demum post studiis me dare potui philologicis. Lectionibus interfui Brauni, Curti, Drobischi, Ecksteini, Heinzi, Langi, Leskieni, Lipsi, Masi, Osthoffi, Overbecki, Ribbecki, Ritscheli, Stadi, Voigti, Zarncki. Praeterea exercitationes frequentavi antiquarias Langi et Lipsi, historicas Voigti. Seminari philologorum regii per duos annos sodalis fui extraordinarius. Seminari paedagogici quas Ecksteinius moderatur exercitationibus etiam nunc intersum.

Magistris meis cum omnibus tum Langio, Lipsio, Voigtio, quorum virorum summe venerandorum singularem expertus sum humanitatem atque liberalitatem, gratias quam maximas habeo semperque habebo. Nec vero praedicare non possum, nunquam me desiturum grata esse voluntate praecipue erga Fickerum ludi publici Gruenhainani moderatorem, qui primas et Latinas et Graecas me docuit litteras.